This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

600081378X

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE REBVS IMPERATORE M. AVRELIO ANTONINO IN ORIENTE GESTIS.

QVAESTIONES HISTORICAE ATQVE CHRONOLOGICAE DE BELLO ARMENIACO PARTHICO ET DE AVIDII CASSII SEDITIONE.

ACCEDUNT APPENDICES ET CONSPECTUS TITULORUM.

SCRIPSIT
ERNESTUS NAPP
DR. PHIL.

BONNAE 1879
IN LIBRARIA HABICHTIANA
(APUD AEMILIUM TSCHIERSKY)
TYPIS JOS. FRANC. CARTHAUS.

221. e. 407.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARNOLDO SCHAEFER

PRAECEPTORI CARISSIMO

S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Argumentum.

		pag.
Caput I.	Res inde a Traiano usque ad M. Aurelium Antoninum in oriente gestae breviter enarrantur	7
„ II.	De initiis belli Armeniaci Parthici	12
„ III.	De scriptoribus belli Armeniaci Parthici observationes aliquot	19
„ IV.	De rebus bello Armeniaco Parthico gestis . . .	22
„ V.	De cognominibus principibus Marco et Vero concessis et de fine belli triumphoque quaestiones chronologicae	31
„ VI.	Quaeritur quid bello Parthico sit effectum . . .	35
„ VII.	De Avidii Cassii legatione prov. Syriae et de rebus ab eo gestis usque ab seditionem	37
„ VIII.	De rebellione Avidii Cassii anno p. Chr. 175 facta	42
Append. I.	L. Verus quomodo ipse bellum gesserit	51
„ II.	De Romanorum in bello Parthico gerendo ducibus .	
	1) De Attidio Corneliano	53
	2) De M. Statio Prisco	55
	3) De Avidio Cassio	
	a) De vita Avidii Cassii a Vulcacio Gallicano descripta	57
	b) De Avidio Heliodoro patre Avidii Cassii .	58
	c) Quid de iis sit iudicandum quae de priore Avidii Cassii vita nobis traduntur	60
	d) Bello Parthico quo munere Avidius Cassius functus sit quasque res gesserit	63
	4) De P. Martio Vero	65
	5) De M. Pontio Laeliano	69
	6) De M. Claudio Frontone	„
	7) De P. Julio Geminio Marciano	70
	8) De Helvio Pertinace	72

Digitized by Google

pag.

Caput III. P. Furius Saturninus, Flavius Titianus, Caesernius Quinctius Quinctianus utrum bello Parthico interfuerint necne . . . . . .
1) De P. Furio Saturnino 73
2) De Flavio Titiano 74
3) De P. Caesernio Statio Quinctio Macedone Quinctiano 75
„ IV. De numis Graecis et Latinis ad bellum Parthicum spectantibus 77
„ V. De cognominibus ab imperatoribus bello Parthico acceptis 86
Conspectus titulorum res in dissertatione tractatas illustrantium 103
Index titulorum 125
Corrigenda 129

Digitized by Google

Caput I.

Res inde a Traiano usque ad M. Aurelium Antoninum in oriente gestae breviter enarrantur.

§ 1. Parthorum regno plane subacto, Armenia Mesopotamia Assyria in formam provinciarum Romanarum redactis [1]), tanta fuit Traianus imperator victoriae gaudio elatus, ut Romanorum armorum gloriam singulari exemplo et militibus suis et populis barbaris ostendere cuperet. Descendit igitur classi illustri apparatu instructa Tigrim flumen usque ad sinum Persicum. [2]) Quae navigatio quamvis praeclara fuerit, tamen provincias expugnare quam obtinere facilius esse statim ipse expertus est. Nam cum quae voluerat tandem assecutus esse sibi videretur, a tergo populi quos modo superaverat rebellaverunt. Imperator propere advolat, Armeniam et Mesopotamiam iterum Romanae dicionis facit, ipsis Parthis regem dat Parthamaspatem eiusque capiti diadema imponit. [3]) Nec tamen, quod in votis erat, ut Romam

1) Eutrop. VIII 3: tres provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam. — cfr. Marquardt, Röm. Staatsverw., I. p. 278 s.

2) Dio Cass. 68, 28: *ἑλὼν δὲ τὴν Κτησιφῶντα ἐπεθύμησεν ἐς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν καταπλεῦσαι.*

3) Dio Cass. 68, 30. Cfr. numum apud Cohenium conspicuum, Vol. II, Trajan, n. 375. — De Parthamaspate cfr. quae exposuerunt. Dierauerus, hist. Traiani (in Buedingeri Untersuchungen z. röm. Kaisergesch. I) p. 176 s. (annot.) et Spiegelius, Erân.Alterthumskunde, Vol. III, 1878, p. 177.

Digitized by Google

triumphator rediret ei contigit. Etenim cum in reditu [1]) Atrenos, gentem Mesopotamiae inferioris, nationis Arabicae, [2]) tunc rebellantem subigere conaretur, nihil effecit atque aegerrime tulit, quod obsidione Atrae, capitis illorum, desistere cogeretur. [3]) Huc accedit, quod Judaeorum per Palaestinam, Mesopotamiam, Cyprum, Aegyptum, Cyrenen seditionem [4]) multis proeliis commissis vix domuit. His peractis cum denuo bellum in Mesopotamiam pararet, [5]) initio mensio Augusti a. 117 Selinunte exstinctus est.

§ 2. Successit P. Aelius Hadrianus patruelis. Qui quamquam a Traiano non erat iuste adoptatus, [6]) sed non multo ante illius mortem exercitui tantum praepositus, tamen, praecipue quod ei Plotina Traiani uxor favebat, [7]) facili negotio a militibus imperator est appellatus. [8])

Qui cum primum imperare coepit, tres illas provincias, Armeniam Mesopotamiam Assyriam, quas Traianus expugnaverat, [9]) reliquit,

1) Praeter scriptores conferas verba quae facit Fronto in libello cuius titulus est „Principia historiae“, pag. 204. Naber: „principis ad triumphum decedentis haudquaquam secura nec incruenta regressio“.

2) cfr. Kiepert, Lehrbuch der alten Geographie, 1878, p. 153.

3) Dio 68, 31.

4) Dio 68. 32. Hieronym. in Euseb. chron. II p. 165 Schoene. Spartian, Hadr. c. 5. Oros. VII 12, ubi verba exstant: „incredibili deinde motu sub uno tempore Iudaei, quasi rabie efferati, per diversas terrarum partes exarserunt.“

5) Dio 68, 33.

6) Dio 69, 1 init.: *Ἀδριανὸς δὲ ὑπὸ μὲν Τραιανοῦ οὐκ ἐσεποιήθη.*

7) Spart. Hadr. 4, 1. 4.

8) Quae usque ad hunc libelli mei locum legisti, brevi in conspectu posui secutus imprimis rerum narrationem quam exhibet Dierauerus l. c. p. 164 sqq.

9) Eutrop. VIII 6: „statim provincias tres reliquit quas Traianus addiderat, id est Assyriam Mesopotamiam Armeniam“. — Adnotat Dierauerus (l. c. p. 164, annot. 2) veri simile esse, Hadrianum provincias illas non antea dimisisse quam Romam redisset; teste autem utitur Spartiano, qui quidem (vit. Hadr. c. 9 init.) dicit: „inter haec tamen et multas provincias a Traiano adquisitas reliquit.“ Videtur recte iudicasse Dierauerus.

Digitized by Google

nec non Chosroen, qui Parthamaspate a Parthis reprobato in integram dignitatem restitutus erat, regem agnovit [1]) filiamque quam Traianus captivam abduxerat ei reddidit. Solium vero aureum, quod Spartianus reddere voluisse eum scribit,[2]) non dedisse videtur; testatur enim Capitolinus [3]) Antoninum Pium solium a Traiano ereptum Parthorum regi reddere recusasse.

Armeniis regem dedit, cum sub Traiano legatum habuissent;[4]) a Mesopotamenis tributum quod Traianus imposuerat non exegit.[5]) Atque cum ei propositum esset, ut quam maxime posset bello abstineret, in itinere quoque quod in orientem instituit principum regumque amicitiam sibi conciliare studebat.

Neque tamen in oriente pacem conservare potuit. Nam confecto bello Iudaico — quod pluribus verbis enarrare a proposito nostro abest — [6]) Albani, quae gens ad mare Caspium habitabat, resurrexerunt [7]) et brevi tempore Mediam, Armeniam, Cappadociam occuparunt. Neque parvum erat periculum, at postremo donis Vologaesi, regis Parthorum et Romanorum amici, metuque Flavii Arriani legati provinciae Cappadociae propulsati sunt. [8])

§ 3. Imperium Antonini Pii, qui Hadrianum excepit, nullis fere turbis motum erat, ita ut omnium imperatorum Romanorum maxime quietum illud fuisse diceres. Quod ipsi qui de illo scripserunt testantur: ut unius verba afferam, apud Aurelium Victorem legimus [9]): „neque quemquam turbare ausum composita neque ipsum ostentandi sui bellum fecisse quietis gentibus“.

---

1) Spart. Hadr. c. 21, 10.

2) ibid. c. 13, 8.

3) Capit. vit. Anton. Pii c. 9, 7. Cfr. Dierauer. l. c. p. 173 et annot. 1; Spiegel, l. c. III. p. 179 s.

4) Spart. Hadr. c. 11, 11.

5) ibid. c. 21, 12.

6) De bello Iudaico cfr. Dio 69, 11—16.

7) Dio 69, 15.

8) Dio l. c.; cfr. Spiegel, Erân. Alterthumskunde, III, p. 179.

9) Aurel. Victor. Caesar. c. 15; cfr. Epit. 15, 3.

Digitized by Google

Imprimis in oriente pacem conservavit. Armeniis a p. Chr. 140 novum regem dedisse eum ex numo quodam patet. [1]) Deinde Ladiis vel Lazis, genti in litore orientali Ponti Euxini habitanti, Pacorum quendam regem imposuit. [2]) Denique Abgarum quendam regem sola auctoritate ex oriente deduxisse illum scribit Capitolinus, [3]) quae verba quomodo sint intellegenda vel potius aperienda equidem nescio, nam aliis locis res non illustratur. Quin ipse ille Abgarus quis fuerit aut ubi regnaverit expediri vix potest. [4])

At transcamus ad Parthos. Ex Capitolino [5]) comperimus, regem illorum ab imperatore Antonino Pio solis literis ab expugnatione Armeniae esse avocatum. Hic rex quis fuerit, ex nummis potest elici. Nam cum apud Eckhelium [6]) numi a 460 aerae Selencidarum exstent, i. e. a. u. c. 901 vel p. Chr. 148, qui Vologaeso II attribuendi sunt, anno autem sequenti primum obvii sint numi Vologaesi III, haud dubium est, quin hic fuerit, quem Antoninus bello arcuit. [7]) Nam ipsum illum Vologaesum III

---

1) Eckhel, D. n., Vol.VII pag. 15 = Cohen, Vol. II, Antonin le Pieux, n. 758. Numo inscripta sunt verba: „rex Armen. datus“ (Imperator togatus stans Armenio regi tiaram imponit: Eckhel). Fortasse hic rex idem est ac Soaemus ille, de quo Marci tempore in regnum restituto infra leges. (Cap. IV, § 1.)

2) Capitol., Anton. Pius, c. 9, 6.

3) ibid.: „Abgarum regem ex orientis partibus sola auctoritate deduxit.“

4) cfr. Casaubonum (Scr. hist. Aug., Lugd. Bat. 1671. pag. 270, annot. 1). — Abgari vel Augari nomen saepissime invenitur apud principes Arabes illius regionis. Ut exemplum afferam, illud nomen habebant reges Osrhoënes sive Edessae. Cfr. Eckhel III, p. 512 sqq.

5) vit. Antonini Pii c. 9, 6.

6) Eckhel III, p. 538.

7) Nomen regis Parthorum apud Capitolinum (Marc. 8, 6) est: Vologessus; Tac. ann. XIII 9 sqq.: Vologeses; Euseb. arm. II 170 Schoene: Vologesus; Hieronymus (ibid.): Vologaesus; item Orosius VII 15; Dio Cass. 71, 2: *Οὐολόγαισος*; Lucian quom. hist. § 14. 19. 31: *Οὐολόγεσος*; Phot. bibl. 94 (Bekker p. 75): *Βολόγαισος*; Ael. Aristid. I, p. 454 (Dindorf) libri manuscr. habent: *Βολόγεσσον* vel *Βολογαίσσον* vel

Digitized by Google

bellum sub Pio paratum Marci et Veri tempore indixisse scribit Capitolinus [1]).

Βολόγαισον; Galen XIV 647: *Βολογέσου*; numi apud Eckhelium III p. 538: *Βολαγάσης*.

Eckhelius regnasse dicit Vologaesum III ab a. u. c. 902 (p. Chr. 149) saltem ad a. 933 (= p. Chr. 180). — „Circa" eundem annum Borghesius (Oeuvr. V p. 374) illum accepisse imperium censet. Sed affirmat Waddingtonius, Mémoir. sur la chronol. de la vie du rhéteur Ael. Aristid. (in: Mémoires de l'institut impér. de France, Acad. des inscr. et belles-lettres, Tome XXVI, Paris 1867 [p. 203—268], p. 262; cfr. note ad Borgh. l. c.): primum imperii eius annum esse a. p. Chr. 148, laudatque Longperierium (Mém. s. l. chronol. et l'iconographie des rois Parthes Arsacides, Paris 1853, p. 118—147 — quo commentario quod ipse uti non potui vehementer doleo —). Nominat autem Waddingtonius l. c. regem Vologaesum IV, sed ille idem est atque III eius nominis apud Eckhelium. — Cfr. Spiegel, Erân. Alterthumskunde, p. 179 s. et Dierauer, Gesch. Trajans, p. 178 (ann.: „Arsakes Olagases III, alleiniger Herrscher des Partherreiches bis in das Jahr 149 v. Chr."). — Apud St. Martin (Fragments d'une histoire des Arsacides, Paris 1850, Tom. II, tabl. chronol. des rois Arsacides de Perse, n. 1) reges Parthorum sic se excipiunt: (115 Parthamaspates), 121 Vologèse II, 149 Vologèse III, 191 Vologèse IV, 207 Vologèse V. — Marquardt (Röm. Staatsverw. I. p. 213, ann. 10) Vologaesum III usque ad a. 192 regnasse dicit.

In Armenia reges illius temporis hi sunt:

St. Martin, Mémoires histor. et géogr. sur l'Arménie I, (Paris 1818), table chronol. p. 412 (cfr. Fragments etc. II, table III):	St. Martin, Fragments etc., table III (selon M. l'abbé Cappelletti d'après Moïse de Khorène et les autres historiens d'Arménie):	Moïse de Khorène, traduit par le Vaillant de Florival, lib. II c. 64 (table chronol. p. 30):
78 Ardasches III (cfr. p. 301).	88 Ardaxès II, fils de Sanatrux.	88 Ardachès II.
120 Ardavazt IV.	128 Artavasde II, fils d'Ardaxès II (il meurt en l'année 130).	129 Ardavazt.
121 Diran I.	131 Diran I, autre fils d'Ardaxès II.	131 Diran I (reçoit la couronne des mains de l'empereur Antonin le Pieux 140).
142 Tigrane VI.	152 Tigrane III, frère de Diran I et surnommé le dernier.	152 Dicran III (est pris et enchaîné 162, délivré par Lucius 163).
178 Vagharsch ou Vologèse.	195 Valarse (Vagharsch), (ou 194) fils de Tigrane III.	194 Vagharsch.

---

1) vit. Marci c. 8, 6.

Digitized by Google

Caput II.

De initiis belli Armeniaci Parthici.

§ 1. Primo agendum est de titulo Corp. regn. Neap. n. 4934.[1]) Ubi imperatorem qui nominatur et Gruterus[2]) et Orellius[3]) intellegunt M. Aurelium Antoninum eiusque bellum Parthicum interpretantur. Alia est sententia Henzeni. Nam in annotatione, quam ad titulum nostrum adiecit,[4]) haec dicit: „Antoninum Pium intellige, quem bellum contra Parthos non gessisse quidem, sed parasse Borghesius exposuit".

Videamus igitur, quid Borghesius ad hunc titulum explanandum contulerit.[5]) Reprehendit Gruterum Orelliumque de M. Aurelio cogitantes; hunc enim vivum nunquam Pium esse vocatum. — Sed vir doctissimus aliisque in rebus scrutandis summa prudentia probatus hic in errore versari videtur. Namque fugerunt eum tituli aliquot, in quibus revera Marcus, dum vivit,

---

De Diran I legitur (Moïse de Khorène II c. 62; traduit par le Vaill. de Flor., I. p. 293): „On ne rapporte de Diran aucune action d'éclat; on dit seulement, qu'il servit les Romains avec fidélité. Ce prince vécut en paix" etc. — De Dicran III legitur l. c. I p. 299 sqq. (lib. II c. 64): „En même temps que Béroze (rex Parthorum) fait incursion en Syrie, aux contrées de la Palestine, pour lui, et par ses ordres, notre Dicran fait incursion dans les terres méditerranées. Il est fait captif par une jeune princesse qui gouvernait le pays dans le temps que Lucinius César élevait son temple à Athènes. Lucinius étant passé avec beaucoup de troupes dans les terres méditerranées, après la mort de Béroze, soumit l'Arménie, et délivra Dicran; il lui donna la jeune Rufa, sa parente, en mariage: mais, arrivée en Arménie, Dicran la délaisse" etc. — Cfr. Spiegel, Erân. Alterthumskunde, III p. 211 sqq. p. 217 s. — Ille „Lucinius César" est L. Verus frater M. Aurelii Antonini (cfr. le Vaillant in indice p. 126). — Sed omnibus narrationibus Mosis Khorenensis († 487 p. Chr.) cautio quam diligentissima est adhibenda: cfr. Mommsen, R. Gesch. II[5], p. 304 c. ann.; Spiegel, Erân. Alth. III p. 218; Gutschmid, Abhdl. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1876, p. 1 sqq.

1) vid. infr. Tit. n. 21.
2) Gruter 441, 4.
3) annot. ad titulum 3393.
4) Orelli-Henzen, Vol. III, p. 335.
5) Tractavit titulum: Oeuvres V p. 373.

Digitized by Google

Pius appellatur.[1]) Itaque Pii nomen in titulo illo Neratii Proculi conspicuum non obstat, quominus de M. Aurelio Antonino philosopho cogitemus. Ut hunc submoveamus, alia causa perducimur: non enim praebet titulus ille praenomen M., quod in aliis illius monumentis nunquam desideratur. — Ergo in illo titulo de Marco imperatore cogitari non posse concedes.

Jam Borghesius[2]) tempus definire conatur, quo Neratius ille Proculus cum copiis „in Syriam ad bellum Parthicum" missus sit. Adhibet verba Capitolini, qui affirmat,[3]) illum paulo ante mortem „de is regibus quibus irascebatur locutum esse", atque cogitat de dissensionibus, quae in fine imperii Antonini Pii inter Romanos et Parthos fuerint, unde sub novo principe, exeunte a 161 vel ineunte 162, bellum ortum sit. Itaque censet, Neratium Proculum, ut hostium impetum instantem defenderet, ab Antonino Pio cum copiis ad limitem imperii esse missum. — Sane haec explicatio rei quasi in promptu est.[4]) At monet Borghesius, secundum titulum primo Neratium cum militibus in orientem abisse, tum Romam redisse, ut praefecturae aerarii praeesset — quae cura per duos annos continuari solebat —, denique consulem exstitisse; missum igitur esse Neratium in Syrium quatuor saltem annis antequam Vologaesus bellum cum Romanis committeret. Qua re commotus titulum de quo agitur ad singularem quendam casum belli Parthici nobis haut satis notum refert, testemque ad-

1) Orell. 3771: vid. infra Tit. n. 8; Mur. 455, 2 (Arimini): „Pius Augustus Germanic. p. p." (a. 174); C. J. L. II 2553: vid. infra Tit. n. 9. — Cum Divus esset, saepius Pius appellatur Marcus: C. J. L. II 1340; Henzen 5473; 5486 etc.; C. J. L. II 2554 (a. 184) nominatur Pius, sed Divi appellatio desideratur. — In numis legitur „Divus M. Antoninus Pius": Cohen II, M.-Aurèle, n. 25—34. 431—440. — L. Verus nusquam Pius appellatur.

2) l. c.

3) vit. Antonini Pii 12, 7.

4) Idem suspicatur Noëlius de Vergers, Essai sur Marc-Aurèle, Paris 1860, p. 32. Sed laudat verba vitae tantum, inscriptionem non novit.

Digitized by Google

hibet Aelium Aristidem rhetorem,[1]) qui quidem in somniis pacem inter Antoninum Pium et Vologaesum se providisse dicit. Quod cum ad annum fortasse 907 u. c. (i. e. 154 p. Chr.) spectare opinetur Borghesius, Waddingtonius[2]) certe ante a. u. c. 908 (i. e. p. Chr. 155) id factum esse censet, atque ut rem illustret, in animum revocat locum quendam Malalae,[3]) quo efficiatur Antoninum Pium medio fere imperii tempore in Syria commoratum esse.

Ut ad finem perducamus hanc quaestionem, rei explanationem a Borghesio oblatam, quoad aliis monumentis caremus, quibus rei certiores fiamus, accipiendam esse censeo. Ergo suspicari cogimur, bellum tunc institisse, atque hostium impetus vitandi causa copias in Syriam esse missas, bellum verum non commissum. Huic igitur tempori vindicemus etiam litteras illas supra commemoratas,[4]) quibus Antoninus Pius regem Parthorum ab expugnatione Armeniae avocasse dicitur.[5])

---

1) or. sacr. I. p. 493 Cant. = p. 453 Dindorf: *καὶ μετὰ τοῦτο ἐγίγνετο ἡ πρόσοδος ἡ πρὸς τὸν αὐτοκράτορα, ἐπεπόμφειν δὲ ὡς τὸν ἐν τῇ Συρίᾳ τότε αὐτοκράτορα, καὶ συνέβη καλῶς* etc. — ib. p. 454: *δωδεκάτῃ ἐδόκουν Ἀντωνῖνον τὸν αὐτοκράτορα τὸν πρεσβύτερον καὶ τὸν τῶν πολεμίων βασιλέα σπονδὰς καὶ φιλίαν πεποιῆσθαι πρὸς ἀλλήλους· προσιόντων δὲ τῶν περὶ τὸν Βολόγεσον φωνὴν εἶναι οὐκ ὀλίγην, καὶ δοκεῖν αὐτοὺς ἑλληνίζειν· ἔπειτα ἀφικέσθαι παρ' ἐμὲ ἀμφοτέρους μετὰ τοῦ σχήματος τοῦ βασιλικοῦ, καὶ εἶναι τόν τε Ἀντωνῖνον ἐπιεικῶς ἐν ἀκμῇ κἀκεῖνον βλοσυρόν τι ἰδεῖν· καθέζεσθαι δέ μου αὐτὸν οὐκ ἄπο πολλοῦ, ἑτέρωθεν δὴ ἐν θρόνῳ τὸν Ἀντωνῖνον· ἐδόκει δέ μοι καὶ ἰατρικῶν τινῶν ἐμπείρως ἔχειν ὁ Μῆδος, δεξιούμενος δέ με εἰπεῖν, πότε ἡμῖν ἀναγιγνώσκεις*; etc.

2) nota 7 ad Borgh. V p. 376; Mémoires s. l. vie d'Aristide, l. c. p. 260 sqq., ubi pluribus de illa re egit. — Clinton (Fast. Rom. I pag. 157) de anno p. Chr. 166 cogitat.

3) Joh. Malalae chronogr. l. XI (119 C. sqq.) = ed. L. Dindorf, Bonn 1831, p. 280 s. — Tempus vero ex Malala minime fit certius.

4) p. 10; ibid. annot. 5.

5) Capitol. vit. Anton. Pii c. 9, 6. cfr. Spiegel, l. c. p. 180.

Digitized by Google

§ 2. Jam quod dissertationis nostrae quasi est medulla, ipsum bellum tractemus quod Vologaesus III diu paratum novi Romanorum imperii initio intulit.

Capitolinum[1]) si sequimur, initium factum est a fuga Attidii Corneliani legati Augg. pr. pr. provinciae Syriae. — At rectius rem nobis tradidisse concedes Dionem Cassium.[2]) Huic si credimus, initium vel potius causa belli fuit repentinus Vologaesi Parthorumque impetus, quo Romanorum praesidium Elegiae, in confinio Cappadociae et Armeniae,[3]) oppressum et cum duce Severiano deletum est. Quo facto Vologaesum affirmat Dio ingenti exercitu processisse ad urbes Syriae,[4]) ac satis magnum periculum tunc institisse testatur Capitolinus: Syros enim de defectione cogitasse.[5]) — Ergo Vologaesus, ni fallor, Armenia cum esset potitus, per Cappadociam in Syriam progressus est.

Severianus ille Marci imperii initio legatus Augusti pro praetore provinciae Cappadociae erat. Integrum nomen fuisse P. Aelium Severianum Maximum docet titulus quidam Bostrae urbe nobilissima provinciae Arabiae repertus.[6]) Hunc igitur Severianum tradit Dio in impetu illo Vologaesi cum universo Romanorum praesidio quo Elegia oppidum tenebatur trucidatum esse.[7]) Quo commovetur Borghesius,[8]) ut tunc totam leg. XXII Deiotarianam perisse contendat. Sed haec opinio nequaquam confirmatur. Multo verisimilius videtur Marquardtio[9]) legionem

1) Capitol. vit. Marci c. 8, 6.

2) Dio epit. lib. 71, cap. 2 init.

3) Steph. Byz. pag. 264. Mein.: *Ἐλέγεια, χωρίον πέραν Εὐφράτου, Ἀρριανὸς ἐν Παρθικῶν ἡ.*

4) Dio epit. lib. 71, cap. 2; init.: *καὶ τῆς Συρίας ταῖς πόλεσι πολὺς ἐπῄει καὶ φοβερός.*

5) Capitol. vit. Veri c. 6, 9.

6) Lebas-Waddington 1943 = C. J. L. III 91. Ipsa tituli verba vid. in fine huius libelli (Tit. n. 24). — Adnotat Waddingtonius, legatum Aug. pr. pr. prov. Arabiae fuisse illum in fine imperii Antonini Pii.

7) Dio l. c.

8) Borgh. Oeuvres IV 254. V 375.

9) Marquardt, Röm. Staatsv. I p. 213, annot 11.

Digitized by Google

illam iam Traiano imperante amissam esse, idemque adnotat, *ὅλου στρατοπέδου* vocabulo quod praebet Dio non necessario significari integram legionem: immo de qualibet exercitus parte usurpari potuisse.

Paulo accuratius, quomodo Severianus cum Parthis congressus sit, adumbrat Lucianus in libello qui inscribitur „*Ἀλέξανδρος ἢ ψευδόμαντις*". Comperimus enim illum ab interprete quodam permotum temere incursione in Armeniam facta cum exercitu profligatum atque ab Othryade quodam, fortasse nobili aliquo Parthorum duce, caesum esse.[1])

---

1) *Ἀλέξ. ἢ ψευδόμ.* § 27. Ipsa Luciani verba haec sunt: *ὁ γοῦν Σευηριανῷ δοθεὶς ὑπὲρ τῆς ἐς Ἀρμενίαν εἰσόδου τῶν αὐτοφώνων καὶ αὐτὸς ἦν. προτρέπων γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τὴν εἰςβολὴν οὕτως ἔφη· . . . . . εἶτ' ἐπειδὴ πεισθεὶς ὁ ἡλίθιος ἐκεῖνος Κελτὸς εἰσέβαλε καὶ ἀπήλλαξεν αὐτῇ στρατιᾷ ὑπὸ τοῦ Ὀθρυάδου κατακοπείς.*

Etiam alias atque diversas inter se exhibet Lucianus de morte Severiani narrationes, quas scriptores belli Parthici ipso belli tempore impudentissime in vulgus sparserint. Evolvas quaeso libellum qui inscribitur „Quomodo historia sit conscribenda" (ed. Jacobitz, Vol. II, p. 3 sqq.). Ubi exponit Lucianus (§ 21), scriptores non gladio legatum illum finxisse occisum, sed quod cibo se abstinuisset.— Atque ex alio libelli loco (§ 25) accipis, non gladio, non veneno, non laqueo illum voluisse perire, sed mortis more satis tragico excogitato iugulum fractis vitreis percussisse. — Satis opinor intellexeris, quam ridicule de morte Severiani confinxerint narrationes illius temporis scriptores! At quid censes? Ipsi nostrae aetatis rerum scriptores, nimirum Luciani fabulam pro vera perhibentes, gravi fame pressum esse Severianum narrare non dubitaverunt (Vid. Galitzin, Kriegsgeschichte des Alterthums, ins Deutsche übers. von Streccius, Bd. V, „Kriege des Kaiserreichs", Cassel 1878, § 373, pag. 133, ubi verba sunt: „Severianus . . . . . wurde eingeschlossen, hielt sich lange in derselben (scil. in Elegia), hatte von furchtbarer Hungersnoth zu leiden, wollte aber sich durchaus nicht ergeben und wurde schliesslich . . . . . niedergemacht" etc.)

Etiam Fronto de occiso Severiano loquitur. Verba sunt haec (Princ. hist. p. 209 Naber): „Bello Parthico utroque (scil. Traiani et L. Veri) consulares viri duo exercitum utrique ducentes obtruncati: Severianus quidem, Lucio ab urbe necdum etiam tum profecto" e. q. s.

Denique non praetereo, Gruterum M. Sedatium C. fil. Severi-

Digitized by Google

Vologaesus igitur,[1]) postquam Armeniam et Cappadociam superavit, in Syriam penetravit atque Attidium Cornelianum, qui tunc provinciam illam administrabat[2]), fugavit.

§ 3. Sed respiciamus tempus quo Vologaesus impetum fecerit: Eusebio si fidem habeamus, ad tertium Marci imperatoris annum ducimur, scil. ad annum p. Chr. n. 163.[3]) Idem Eusebius vel primo Marci anno (i. e. 161 p. Chr. n.) Lucium Caesarem Marci fratrem Athenis fuisse testatur, ut versio Armenia, secundo, ut Hieronymus exhibet.[4]) — Hanc temporum rationem miram, immo plane perversam respues, cetera testimonia cum respexeris. Nam constat inter omnes, qui de hac re auctores sunt, prima illa clade Romanorum iam accepta atque Romae cognita L. Verum, a senatu bello contra Parthos gerendo praepositum in orientem missum ac tunc Athenis paulisper commoratum esse. Documentum huius rei capias ex Frontonis libello qui inscribitur „Principia historiae". Ubi[5]) distinctis verbis haec habes: „Severianus quidem (obtruncatus est), Lucio ab urbe necdum etiam tum profecto."

---

anum, conspicuum in titulo p. 126 confudisse cum nostro legato. Idem obvius est in aliis titulis: Gruter p. 1077, C. J. L. II 2008; III 1562 („Romam ad consulatum Severiani c. v. missi"); III 1575 („S. u. c. pro salute M.Sedat. Severiani leg. Aug."). — Consul hic fuit a. p. Chr. n. 150 conicitque Mommsenus (annot. ad. titul. C. J. L. III 1575) eundem esse Sedatum, de quo scribit Aristides: or. sacr. II p. 531 Canter = p. 477 Dindorf (vol. I); IV. p. 574 Canter = p. 506 Dindorf (Vol. I); cfr. Waddington, Mém. s. l. vie d'Aristide, l. c. pag. 256 et titulum C. J. G. 3937 (Laodiceae) Sedatio Theophilo dedicatum.

1) cfr. p. 15.

2) De titulis huius viri infra agetur. (App. II 1; Tit. n. 25—27.)

3) Consentiunt vers. Armen. et Hieronym. (p. 170. 171 Schoene.)

4) ibid. p. 170. 171 Schoene.

5) p. 209 Naber. — Cfr. etiam quae scripsit Fronto „ad Verum" I 3 (p. 131 Naber): „Circa causas et initia belli diu commoraberis, et etiam ea quae nobis absentibus male gesta sunt. Tarde ad nostra venies. Porro necessarium puto, quanto ante meum adventum superiores Parthi fuerint, dilucere, ut quantum nos egerimus appareat" (ex epistola ipsius L. Veri ad Frontonem data).

Digitized by Google

Verum initium belli indicare videtur Capitolinus cum scribit[1]: Vologaesum bellum sub Pio paratum Marci et Veri tempore indixisse.

Initium igitur belli Parthici atque clades Severiani cum mihi persuasum sit nihil obstare quominus anno p. Chr. n. 161 sint vindicanda, tum Verum anno demum 162 profectum esse, certe hoc demum anno in Syriam advenisse evinci posse censeo. Quod ut appareat haec velim consideres.

Ostendit Tillemontius[2] L. Verum in itinere multis in oppidis tamdiu esse commoratum, ut fieri non posset, quin vertente anno 162 in Syriam eum pervenisse suspicareris. Vide quae Capitolinus de itinere Veri tradidit[3]: Marcus fratrem usque ad Capuam prosequitur, hic morbo corripitur Canusii, ille advolat visitandi causa, hic in Apulia venationibus delectatur, „cum interfecto legato, caesis legionibus, Syris defectionem cogitantibus oriens vastaretur". [4] Corinthi Athenisque, et cum mare superasset, in oppidis quibusdam maritimis Asiae, Phamphyliae, Ciliciae commoratus voluptatibus indulget. [5] — Titulo quodam Hydruntino[6] secundo Veri tribuniciae potestatis anno exarato efficitur, ut anno p. Chr. 162 ipsa in Italia ille fuerit, atque probabilis Mommseni videtur opinio, Hydrunto mare traiecisse eum titulumque tunc honoris causa sibi oblatum accepisse. — Huc accedit, ut numi exstent[7] a. 162 excusi, in quibus insculpta est effigies L. Veri inscriptaque sunt verba: „Profectio Aug."; anni autem

---

1) Capit. vit. Marci c. 8, 6: „fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologessus paratum sub Pio Marci et Veri tempore indixit" e. q. s.

2) vid. notam VIII, quam historiae Marci annexuit (ed. Paris 1720, p. 554 sqq.).

3) Capit. vit. Marci c. 8, 10 sqq.; vit. Veri c. 6, 7 sqq.

4) Ipsa Capitolini verba (vit. Veri c. 6. 8.)

5) Ibid. § 9.

6) Corp. regni Neapolit. n. 443; vid. infra Tit. n. 10.

7) apud Cohenium, Vol. III, Vérus, n. 29—31. 162. 163.

Digitized by Google

praecedentis numi illa non exhibent[1]). Hanc profectionem significari eam quam Verus Roma, non eam quam Antiochia fecit, ut opinatur Eckhelius[2]), quivis mihi concedet[3]). — Ergo non ex Italia solum, sed ipsa Roma anno 162 Verus profectus videtur esse, atque suspicor, vel posteriore illius anni parte in Syriam eum advenisse. Quo anno in Syria eum fuisse demonstrat titulus Wadd. n. 2562 d[4]), quem post adventum ei dedicatum esse coniectando facile concludes; laudat enim titulus Verum solum, Marcum non item.

Caput III.

De scriptoribus belli Armeniaci Parthici observationes aliquot[5]).

Constat bellum Armeniacum et Parthicum[6]) longe lateque patuisse, atque copias duxisse proeliisque interfuisse viros illius aetatis praeclarissimos et fortissimos. Dimicatum enim esse comperimus in Syria, Cappadocia, Armenia, Mesopotamia, Babylonia, Media, armis igitur vexatas esse omnes illas regiones, quae ab altera quidem parte mari medio cinguntur ac Ponto Euxino, ab

---

1) Ceterum similes habes numos anno sequente (p. Chr. 163) signatos: v. Cohen l. c. n. 164, 165. Eckhel VII p. 90. Sed hoc non ita mirum; nam saepe repetunt numi res prioribus annis gestas: vid. infra App. IV, § 3.

2) VII p. 90; quamquam tui arbitrii esse concedit vir doctissimus, utrum tibi videatur veri similius.

3) Nam vix crediderim, profectionem Antiochia factam in numis celebratam fuisse.

4) Verba tituli habes infra: Tit. n. 26.

5) Hoc capite de fontibus fusius disserere non est in animo, sed pauca tantum in medium proferre, quae, antequam res ipsae enarrarentur, idonea visa sunt ut notarentur.

6) Haec enim propria appellatio belli videtur fuisse, ut demonstrant tituli. Ut exempla afferam, vid. tit. Orell. 3186, Henzen 5478, 5479. (Ipsa titulorum verba habes in fine libelli: Tit. n. 43—45.

Digitized by Google

altera mari Caspio et sinui Persico adiacent.[1]) Interfuisse vero bello scimus praeter L. Verum Marci fratrem, ad quem summa belli erat delata: Statium Priscum, Avidium Cassium, Martium Verum, Pontium Laelianum, Claudium Frontonem, Geminium Marcianum, Helvium Pertinacem, alios.[2]) Sed pro bello tam ingenti, tam gravi, tot et tam longinquis locis gesto, narrationes quae nobis traditae sunt quam tenues sunt, quam aridae! Neque multum abest, ut omnino fieri non posse dicas, ut in unum conferantur legitimusque rerum conexus restituatur.

Ex numero rerum scriptorum eminent Capitolinus, Dio Cassius, Fronto, Lucianus. De his liceat pauca adnotare.

Quae Capitolinus in vitis Marci et Veri praebet, maximam partem ex libris L. Marii Maximi hausta sunt, quem inter omnes constat praecipuum scriptorem fuisse rerum ab imperatoribus Romanis inde a Nerva gestarum.[3]) Praeterea Quadratum „belli Parthici scriptorem“ laudat,[4]) cuius „historiae“ etiam Vulcacio Gallicano notae fuerunt.[5])

A Capitolino cum ad Dionem Cassium transieris, in Xiphilini epitome lib. 71 Parthicum bellum paucissimis verbis attingi cognosces, bellum autem, quod cum Marcomannis Quadis Jazygibus Romani M. Aurelio Antonino imperatore gesserunt, multo fusius atque accuratius enarrari. Jam animadverte quae

---

1) cfr. Capital. vit. Veri c. 7. 1: „ita ut Babylonem et Mediam pervenirent et Armeniam vindicarent“. Lucian. quom. hist. § 30: *εἷς δέ τις βέλτιστος ἅπαντα ἐξ ἀρχῆς ἐς τέλος τὰ πεπραγμένα, ὅσα ἐν Ἀρμενίᾳ, ὅσα ἐν Συρίᾳ, ὅσα ἐν Μεσοποταμίᾳ, τὰ ἐπὶ τῷ Τίγρητι, τὰ ἐν Μηδίᾳ, πενταχοσίοις οὐδ' ὅλοις ἔπεσι περιλαβὼν συνέτριψε καὶ τοῦτο ποιήσας ἱστορίαν συγγεγραφέναι φησί.*

2) De his viris omnibus infra separatim agemus (App. II).

3) cfr. de Mario Maximo disputationem copiosissimam Joh. Jac. Muelleri: „der Geschichtsschreiber Marius Maximus“ in Buedingeri „Unterss. z. röm. Kaisergesch.“, Vol. III (1870) p. 17—202; proprie de Marco p. 47 sqq.

4) vit. Veri c. 8, 4.

5) vit. Avid. Cass. c. 1 init.

Digitized by Google

Xiphilinus in epit. lib. 70, c. 2, 2 annotavit, historiam Antonini Pii apud Dionem, exiguis reliquiis exceptis, nobis non iam servatam esse; quare se additurum, quae alliunde collexerit atque excerpserit. Item l. c. testatur, non iam superesse, quae de initio imperii Marci principis et de rebus a Lucio in bello adversus Vologaesum gestis Dio conscripserit. — Haec si animo computaveris, pauca illa quae in epit. lib. 71 inveniuntur non ipsi Dioni deberi, sed aliunde a Xiphilino desumpta esse facile intelleges[1]).

Praeter Capitolinum et Dionem, si exceperis titulos ac numos dispersasque quasi symbolas quae a scriptoribus posterioris praecipue aetatis praebentur, ad historiam belli materiem accipimus a Frontone oratore et a Luciano Samosatensi. Quorum ille usus commentariis ab Avidio Cassio et a Martio Vero oblatis[2]) historiam belli conscribere animum induxerat, atque epistulae eius et libellus qui inscribitur „Principia historiae" multa exhibent ad bellum Parthicum spectantia. — Lucianus autem in commentario illo, quo exposuit, quomodo historia sit conscribenda[3]), de scriptoribus, qui ipsis belli Parthici temporibus res inter Romanos et Parthos gestas litteris mandabant, fusius atque uberius egit. Perstrinxit atque laceravit tumidum sermonem atque pompam quam in dicendo adhibuissent; multas res summa impudentia plane ementitos eos esse, non ad veritatem, sed ad gratiam hominumhistoriam tractasse, specimina priscae aetatis historiae conscribendae imitari quidem studuisse, Herodotum, Thucydidem, alios, sed pro vera rerum enarratione congessisse narratiunculas ineptissimas et futilissimas. Multa affert vir praeclarissimus, quibus dicendi genus scriptorum illorum pravissimorum illustret[4]); atque in his

1) cfr. etiam Mueller l. c. p. 136 s.

2) Fronto, ad Verum, II 3 (p. 131 Naber).

3) Libellus non ita multo post bellum Parthicum viedetur conscriptus esse.

4) Praeter cetera legas potissimum quae dicit §§ 7, 19, 24, 28, 31. — Etiam nomina scriptorum illorum commemorat, sic § 6 (*Καλλι-*

Digitized by Google

ipsis multa insunt, quibus cognitionem quam de bello habemus iucundissime augere possumus.

Caput IV.

De rebus bello Armeniaco Parthico gestis.

Quod supra diximus causisque confirmavimus, historia belli Parthici propter exigua vestigia quae sequamur non facile scribitur. Tamen quo ordine singulae res se exceperint, nunc exponere conamur.

§ 1. In Armenia duce Statio Prisco res bene esse gestas atque Artaxata capta tradit Capitolinus,[1]) delatumque est et L. Vero et Marco nomen Armeniaci, quod ille quidem statim accepit, Marcus primo recusatum postea demum petente fratre suscepit.[2]) Atque Armeniam captam esse anno 163 numorum testimonio constat. Exstat enim numus Marci illo anno excusus,[3]) in quo imago Victoriae ingredientis depicta est, atque in L. Veri numis ad eundem annum pertinentibus Armeniaci nomen legitur conspiciturque Armeniae imago humi sedentis, armis patriis circumdatae, sinistram navi imponentis.[4]) Praeterea illo anno utrumque principem iterum imperatorem esse appellatum numorum testi-

---

μόρφου ἰατροῦ τῆς τῶν κοντοφόρων ἕκτης ἱστοριῶν Παρθικῶν); § 15 (*Κρεπέρηος Καλπουρνιανὸς Πομπηϊουπολίτης συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Παρθυαίων καὶ Ῥωμαίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους, ἀρξάμενος εὐθὺς ξυνισταμένου*); § 32 (*Δημητρίου Σαγαλασσέως Παρθονικικά*).

1) Capit. vit. Marci c. 9, 1.

2) Fronto, ad Verum II 1 (p. 121 Naber) haec scribit: „sed arcem munitam et invictam et inexpugnabilem, quae in fratris tui pectore sita est, ad nomen Armeniaci quod recusaverat sumendum, quis alius quam tu, aut quibus aliis tu quam eloquentiae copiis adortus es?“

3) Eckhel D. n. VII p. 50; Cohen II n. 747; cfr. n. 745.

4) Eckhel D. n. VII p. 90. Cohen III n. 2. 3. 46. 47. 237. — Quae Eckhelius concludit, navalem victoriam in Euphrate flumine partam esse, vix affirmaverim.

Digitized by Google

monio patet.[1]) — Quantum vero in victoriis de Parthis reportatis ipsi L. Vero attribuere liceat, vix expediri potest. Ad Euphraten illum pervenisse, Capitolini testimonio constat.[2]) — Anni 164 numos si respexeris, M. Aurelium Antoninum quoque Armeniaci nomine ornatum invenies,[3]) atque exstant numi, quorum in aversa parte conspiciuntur „Victoria gradiens cum tropaeo, ante cuius pedes Armenia moesta sedens“ vel „Armenia moesta humi sedens inter arma patria, s. prorae navis inposita“, ut affirmat Eckhelius.[4]) His numis utrum praecedentis anni victoriae repetantur an novae indicentur, difficile est diiudicare. Saepissime enim easdem res per plures deinceps annos numis celebrari, si accuratius aliquid in rem inquisiveris, facile intelleges.

§ 2. At vide quantum ex numis enucleare possimus! Exstant enim numi Veri anno 164 excusi,[5]) quorum in parte adversa inscripta sunt haec verba: „rex Armeniis dat. tr. p. IV. imp. II cos II“ conspiciturque imperator regi diadema imponens. Quam rem ut melius intellegamus, ab Eckhelio inbemur revolvere Photium itemque Suidam. Dicit enim apud Photium[6]) Jamblichus,

1) vid. Eckhel VII p. 90, p. 49 s.; cfr. p. 74 s. Cohen II n. 745—747. III n. 2. 3. 46. 47. 237. (n. 3 depictus est Tom. III plan. 1.) — Capitol. vit. Marci c. 8, 12.

2) vit. Veri c. 7, 7, ubi haec legere editoribus usitatum est: „ad Eufraten tamen inpulsu comitum suorum secundo profectus est,“ interpretatique sunt viri docti (cfr. Eckhel VII p. 90), bis ad Eufraten flumen L. Verum se contulisse. Sed in vocabulo „secundo“ inesse corruptelam mihi pro certo est. Delevit Hirschfeldius (Hermae Vol. III p. 230) cum scribat „impulsum secutus.“

3) Rarissimi sunt numi a. 163 signati, in quibus Marcus nomine Armeniaci ornatus conspicitur. De his numis itemque de titulis cfr. velim quae in appendice sumus exposituri (vid. App. V § 1).

4) VII p. 50; Cohen II, M.-Aurèle, n. 787—789; cfr. n. 1—3. 156. 157. 279. 280. 284. 285. 744. 748—765. cfr. etiam III, Vérus, n. 111. 112.

5) ibid. p. 91. Cohen III n. 39. 40. 169—171; n. 169 depictum habes III, plan 1.

6) Photii bibl. lib. 94 (p. 75 Bekker): *λέγει δὲ καὶ ἑαυτὸν Βαβυλώνιον εἶναι ὁ συγγραφεὺς* (sc. Jamblichus) . . . . . *καὶ ἀκμάζειν*

Digitized by Google

fabularum scriptor, floruisse se Soaemi temporibus, regis ex genere Achaemenidarum atque Arsacidarum nati, qui Romae in senatum receptus atque consul factus postea Armeniae Magnae rex esset restitutus; Romae tunc Antoninum[1]) imperasse, qui L. Verum fratrem eundemque generum ad bellum adversus Vologaesum gerendum misisset. — Eodem spectant verba Suidae (s. v. *Μάρτιος*)[2]), quibus demonstratur Martius Verus misisse Thucydidem quendam, ut Soaemum in Armeniam reduceret. — Atque rectissime ex verbis illis apud Photium et apud Suidam conspicuis conclusit Eckhelius[3]), Soaemum illum iam antea in Armenia regnasse atque expulsum a Parthis tunc[4]) a Vero esse restitutum, adnotatque vir praeclarissimus, siquidem verba transcribere licet: „Hem! quam tenues rivulos eosque fere lutulentos iubemur consectari,

---

ἐπὶ Σοαίμου τοῦ Ἀχαιμενίδου τοῦ Ἀρσακίδου, ὃς βασιλεὺς ἦν ἐκ πατέρων βασιλέων, γέγονε δὲ ὅμως καὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς τῆς ἐν Ῥώμῃ καὶ ὕπατος δέ, εἶτα καὶ βασιλεὺς πάλιν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας· ἐπὶ τούτου γοῦν ἀκμάσαι φησὶν ἑαυτόν· Ῥωμαίων δὲ διαλαμβάνει βασιλεύειν Ἀντωνῖνον· καὶ ὅτε Ἀντωνῖνος, φησίν, Οὐῆρον τὸν αὐτοκράτορα καὶ ἀδελφὸν καὶ κηδεστὴν ἔπεμψε Βολογαίσῳ τῷ Παρθυαίῳ πολεμήσοντα, ὡς αὐτός τε προείποι καὶ τὸν πόλεμον, ὅτι γενήσεται, καὶ ὅποι τελευτήσοι· καὶ ὅτι Βολόγαισος μὲν ὑπὲρ τὸν Εὐφράτην καὶ Τίγριν ἔφυγεν, ἡ δὲ Παρθυαίων γῆ Ῥωμαίοις ὑπήκοος κατέστη. — De Jamblicho et de loco Photii cfr. quae exposuit Rohde, d. griech. Roman u. s. Vorläufer, Lips. 1876, pag. 361 sqq.; Jahrbb. f. Phil. 1878 p. 317 sqq. (F. Rühl); 1879, p. 16 (Rohde).

1) i. e. M. Aurelium Antoninum philosophum.

2) Suid. s. v. *Μάρτιος* (ed. Bernhardy II 1, p. 715 = ed. Bekker, Berlin 1854, pag. 690): *ὅτι Μάρτιος Βῆρος τὸν Θουκυδίδην ἐκπέμπει, καταγαγεῖν Σύαιμον εἰς Ἀρμενίαν* etc. — Ex Dione Cassio hausisse Suidam me non invito coniecit Valesius probavitque Bekkerus; cfr. etiam Reimar. ed. Dion. II p. 1261.

3) l. c.

4) a. p. Chr. 164, numos si sequimur. — In promptu est, ipsam Soaemi per Parthos expulsionem in initio belli collocare. Haec est sententia Spiegelii (Erân. Alterthumsk. III p. 181), qui quidem Severianum illum e Cappadocia auxilium tulisse Soaemi rebus afflictis scribit. Quam sententiam etiamsi facile probaveris, tamen, ni fallor, licet etiam suspicari, iam antea Soaemum regno esse privatum.

Digitized by Google

cum tam illustris imperii historiam scribere aggredimur". — Sane narratiunculis illis ea quae de bello novimus iucundissime augentur. Nam vide, quam ieiune de L. Vero scripserit Capitolinus[1]): „bello confecto regna regibus .... dedit" (sc. Verus). At nondum uti poterat Eckhelius epistulis Frontonis, cuius codicem rescriptum ab Angelio Maio non ignoras postea demum ad lucem esse vocatum. Exstant autem in epistola ad Verum missa[2]) haec verba: „vel quod Sohaemo potius quam Vologaeso regnum Armeniae dedisset, aut quod Pacorum regno privasset". Hinc res denuo illustratur et de Pacoro certiores fimus. Iam iuvat ipsum illum Pacorum alibi invenisse. Exstat enim in sarcophago Romae reperta titulus graecis literis expressus,[3]) in quo ille se appellat „*Αὐρήλιος Πάκορος βασιλεὺς μεγάλης Ἀρμενίας*" dedicatque sarcophagum fratri *Αὐρηλίῳ Μεριθάτι*. Jam cum Pacorus Aurelii sibi vindicet nomen, vix quisquam dubitabit, quin ille temporibus Marci et Veri vixerit atque idem sit de quo Fronto loquitur. Itaque cum Maio et cum Niebuhrio[4]) suspicor, illum a Parthis Armeniae regem impositum, a Vero privatum, Romam perductum ibique clientem fratrum imperatorum atque civem Romanum esse factum. At certe erroris arguendus est Niebuhrius noster, Pacorum eundem esse statuens atque illum quem Capitolinus[5]) scribit ab Antonino Pio Ladiis regem esse datum. Nam omnibus temporibus in numero regum orientalium permulti inveniuntur, quibus nomen est Pacorus.[6])

---

1) vit. Veri c. 7, 8.

2) ad Verum II 1 = p. 127 Naber.

3) C. J. G. 6559. (vid. Tit. n. 28.)

4) vid. M. Cornelii Frontonis reliquiae ed. Niebuhr, Berolin. 1816, p. 170, annot. 2.

5) vit. Antonini Pii c. 9, 6.

6) Quare vix opus est, ut conferre te iubeam Dierauerum (Gesch. Trajans in Buedingeri „Unterss. z. röm. Kaisergesch.", Vol. I) p. 178, annot. — At sunt observanda verba quae adnotavit Franzius ad titulum nostrum (C. J. G. 6559): „Hic Pacorus fortasse fuit Bakur ille, quem circiter a. p. Chr. 150 parti Armeniae praefectum fuisse ex libris

Digitized by Google

Itaque Soaemo in regnum restituto denuo demonstratur res in Armenia prospere esse gestas, atque in Armenia tunc bellum videtur finitum esse.

§ 3. Ipso anno 164 viri docti statuerunt L. Verum Ephesum se contulisse, ut Lucillam Marci filiam quae illi sponsa erat exciperet[1]). Sane licet de illo anno cogitare[2]); tradit enim Capitolinus[3]) haec verba: „medio belli tempore et Civicam patruum Veri et filiam suam nupturam ..... Brundisium usque deduxit, ad eum misit Romamque statim rediit“ (sc. Marcus imperator). Quamquam annus certus non est.

Singulares quasdam res in bello gestas tradiderunt Fronto et Lucianus. Quorum alter praeter Artaxata etiam Nicephorum atque Dausara expugnata esse narrat.[4]) Haec oppida ab ipso L. Vero capta esse cum scripserit Fronto[5]) quis miratur? quamquam pro certo sumas, meritum deberi Statio Prisco aut, quod veri similius est, Avidio Cassio, qui quidem in Mesopotamia bellum gessisse videtur.

Sed videamus quae Lucianus ad historiam contulerit. In libello cuius titulus est „Quomodo historia sit conscribenda“ de-

---

Armeniacis me docuit Petermannus“ et „Is Merithates vel potius Meridates audit Armeniace „Mithrdat“, i. e. Mithridates. — Ceterum invenitur M. Aurelius Pacorus quidam etiam: Gruter 102, 1 et M. Aurelius Pacorus M. Cocceius Stratocles: Gruter 39, 4.

1) Capit. vit. Veri c. 7, 7: „Efesum etiam redit, ut Lucillam uxorem, missam a patre Marco, susciperet, et idcirco maxime ne Marcus cum ea in Syriam veniret ac flagitia eius adnosceret“.

2) Cogitaverunt autem Tillemont, M.-Aurèle, article VII, p. 351; cfr. p. 584; Eckhel VII p. 50; p. 90; Clinton Fast. Rom. pag.152.

3) vit. Marci c. 9, 4.

4) ad Verum II 1 = pag. 121 Naber. — Situm est Nicephorium (nam haec forma vocabuli magis est usitata quam Nicephorus) ad Euphraten superiorem in Mesopotamiae parte septentrionali: cfr. Kiepert, Lehrbuch der alten Geogr., 1878, p. 155; Kuhn, Verfass. d. röm. Reichs, Lpz. 1865, II p. 325 et auctorum locos illic laudatos. — Dausara autem prope Edessam sita esse testatur Steph. Byzant. p. 222 (ed. Meineke, Berl. 1849).

5) l. c.: „ductu auspicioque tuo armis capta sunt“.

Digitized by Google

notat „*τραῦμα ἐν Ἀρμενίᾳ*“ atque „*συνεχεῖς νίκας*“ (§ 2). Nisibin urbem obsedisse Romanos et famem monstrasse iis, pui suas partes non sequerentur, legis § 15. Acerrimum vero proelium ad Europum videtur commissum esse, reprehenditque Lucianus illius aetatis rerum scriptores, quod cladem hostibus illatam verbis auxissent immoderatis ac poene insanis: sex et ducentos et trecena septuagena milla occisos esse ab hostium parte, Romanorum autem duos tantum mortuos ac novem saucios fuisse (§ 20).[1]) Pugnam prope Suram commissam indicant verba quae exstant § 29: „*καὶ γὰρ ἐκινδύνευσε πολλὰ καὶ ἐτρώθη περὶ Σοῦραν*“. Neque non Edessam obsidione esse pressam sequitur ex § 22, ubi duo tumida enuntiata ex opusculo auctoris cuiusdam desumpta habes: „*Ἔδεσσα μὲν δὴ οὕτω τοῖς ὅπλοις περιεσμαραγεῖτο καὶ ὄτοβος ἦν καὶ κόναβος ἅπαντα ἐκεῖνα*“ et „*ὁ στρατηγὸς ἐμερμήριξεν, ᾧ τρόπῳ μάλιστα προσαγάγοι πρὸς τὸ τεῖχος*“ [2]) — Quin de ipso Vologaeso capto et de Osroë mortuo mentio est (§ 31); sed quae narrantur non revera esse facta ipsis Luciani patet verbis: conficta enim est res ab auctore quodam.[3]) Osroës vero vir quidam fuisse videtur apud Parthos auctoritate praevalidus sae-

---

1) At magnam fuisse pugnam sequitur etiam ex verbis quae exhibet Lucianus § 28: *καὶ ὁ θαυμαστὸς συγγραφεὺς ἀφεὶς τὰς ἐν Εὐρώπῳ γιγνομένας σφαγὰς τοσαύτας* e. q. s.

2) Haec omnia quae nominavimus oppida in regionibus quae ad Euphraten superiorem pertinent sita sunt: Europum Cyrrhesticae tribuit Ptolem. V 15, § 13 s.; Kuhn, Verf. d. röm. Reiches, II, p. 322. — Sura ad Euphratesiam pertinet, qua postea etiam Cyrrhestice continebatur (l. c. p. 323). — Edessa denique erat caput Osrhoenes quae quidem ab Euphratesia in orientem atque meridiem trans Euphraten usque ad eum locum patebat, ubi Chaboras influit (Kuhn p. 324). In eadem Osroenes provincia sitae erant Carrhae. — Nisibis vero ad ipsam Mesopotamiam pertinebet.

3) Luc. quom. hist. § 31: *ἤδη δ'ἐγώ τινος καὶ τὰ μέλλοντα συγγεγραφότος ἤκουσα, καὶ τὴν λῆψιν τὴν Οὐολογέσου καὶ τὴν Ὀσρόου σφαγήν, ὡς παραβληθήσεται τῷ λέοντι, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸν τριπόθητον ἡμῖν θρίαμβον* etc.

Digitized by Google

piusque a Luciano nominatur[1]). Etiam alium virum habes apud Parthos fortasse praestantem, Othryadem dico[2]), a quo Severianus Romanorum dux interfectus esse dicitur.

§ 4. Jam apud scriptores colloquia quoque commemorantur ad quae L. Verus pacis conciliandae causa cum Parthis sit congressus. Scribit enim Fronto ad Verum[3]): „regi Parthorum prompte et graviter respondisti“ indicatque ille Frontoni[4]): „mittam tibi et sermones meos cum barbaris habitos“. (Solebat enim Frontoni commentarios mittere ab Avidio Cassio et a Martio Vero compositos, ut ille res in bello gestas conscriberet)[5]). Atque praecipue observanda sunt verba quae exstant in libello qui inscribitur „Principia historiae“[6]): „litteras ultro dederat, bellum, si vellet, condicionibus poneret: dum oblatam pacem spernit barbarus, male mulcatus est.“ — Cum his quae commemoravimus locis comparanda sunt verba Nazarii panegyrici[7]), quae hic adscribere liceat:

„Antoninus imperator, in toga praestans et non iners nec futilis bello, cum adversum Parthos armis experiretur, visis cataphractis, adeo totus in metum venit, ut ultro ad regem conciliatrices pacis literas daret. Quas cum rex, immodicus animi, respuisset, insolentia quidem barbari debellata est, sed patefactum est, in his armis tantam inesse violentiam, ut iam et vincendus fideret et superaturus timeret“.

Ecce imperator regem aspernatus quidem, at nihilo secius Parthicorum armorum vi perterritus occasionem pacis conciliandae quaerens. Contra Frontonem si auctorem sequimur, a L. Vero

1) l. c. § 18; *ἣν Ὀσρόης, τὸν οἱ Ἕλληνες Ὀζυρόην ὀνυμέουσι·* — § 19: *Ὀσρόου . . . . . διανέοντος τὸν Τίγρητα.* — cfr. etiam § 21.

2) *Ἀλέξ. ἢ ψευδόμ.* § 27.

3) ad Verum II 1 (p. 120 Naber).

4) ibid. II 3 (p. 132 Naber).

5) p. 131 Naber.

6) p. 208 Naber.

7) Nazar. c. 24, § 6 s. (XII Panegyrici latini, rec. Baehrens, Lips. 1874, pag. 231).

Digitized by Google

victore pacem oblatam esse accipimus. Quae cum ita sint, difficile est statuere, ab utro scriptore rem rectius esse traditam credamus, neque hoc constat, utrum de eisdem condicionibus atque colloquiis apud utrumque auctorem agatur necne. Tamen, utcunque res se habent, hoc, ni fallor, pro certo statuere licet, pacis condiciones temptatas quidem esse a Romanis, sed non probatas a Parthis. Quare utrique in bello perseverarunt.

§ 5. Atque tam strenue a Romanis dimicatum esse censendum est, ut tandem hostes superarentur, licetque suspicari, discrimen belli adductum esse Seleucia urbe capta et arce regia Ctesiphontis inflammata exussaque. — Seleuciam autem captam esse omnes fere commemorant qui de hoc bello scripserunt. Neque nimis miraberis, Capitolinum, quamquam omnium accuratissime oportebat eum rem tractare, qua esset neglegentia, leviter ac quasi in transitu rem attigisse. Tradit enim[1]) luem ac pestilentiam e Seleucia capta primo per orientem, post etiam per occidentem diffusam omnia denique animalia corripuisse, adnotatque ille scriptor, culpam morbi longe lateque dislati non attribuendam esse L. Vero, sed Cassio, a quo urbs capta sit; verum apud ipsos veteres dubium fuisse, utrum urbs, quae cum graeca esset Romanos ut amicos exceperat, a Cassio contra fidem esset diruta an a Seleucenis ipsis fides laesa: hanc enim esse sententiam Quadrati, scriptoris belli Parthici.

Omnium accuratissime de illa re scripsisse concedes Xiphilinum. Tradit[2]) Vologaesum, relictum a sociis et recedentem, a Cassio ad Seleuciam atque Ctesiphontem usque fugatum esse, tum Seleuciam incensam deletamque, arcem regiam Ctesiphontis excisam et eversam. Quibus rebus peractis Cassium in Syriam reversum in itinere multos milites fame morboque amisisse[3]).

---

1) vit. Veri c. 8, 1 sqq.

2) Dio Cass. epit. 71, 2.

3) Dio l. c.: *Κασσίῳ δὲ τὰ στρατεύματα ἐπέτρειψε* (sc. L. Verus) *καὶ ὃς ἐπιόντα τε τὸν Οὐολόγαισον γενναίως ὑπέμενε, καὶ*

Digitized by Google

Seleuciam, urbem illam celeberrimam[1]) ad Tigrim sitam tunc funditus esse excisam ex Ammiano Marcellino licet colligere[2]).

Traditur Seleucia capta ab Eutropio, Hieronymo, Orosio, neque fugit res Sextum Rufum, qui quidem in breviario quod composuit urbem cum quodringentis milibus hominum captam esse dicit[3]). Quadraginta milia captos esse scribit Eutropius[4]). Hieronymus vero sub quarto Marci imperatoris anno tradit: „Seleucia Assyriae urbs cum CCC milibus hominum a Romanis capta“ [5]). Orosius[6]) denique cum Rufo consentiens urbem cum quodringentis milibus captam esse vult. Atque in tanta numerorum discrepantia profecto difficile est, quis sit verus, expedire. Neque hoc reticendum, Orosium (l. c.) inepte tradidisse, Seleuciam esse „Assyriae urbem super Hydaspem flumen sitam“, quamquam manifestissime patet, cum Seleuciam ad Tigrim sitam

---

τέλος ἐγκαταλειφθέντα ὑπὸ τῶν συμμάχων καὶ ὀπίσω ἀναχωρήσαντα ἐπεδίωξε, μέχρι τε Σελευκείας καὶ Κτησιφῶντος ἤλασε, καὶ τήν τε Σελεύκειαν διέφθειρεν ἐμπρήσας, καὶ τὰ τοῦ Οὐολογαίσου βασίλεια τὰ ἐν τῇ Κτησιφῶντι κατέσκαψεν etc.

1) cfr. Eutrop. VIII 10: „Seleuciam Assyriae urbem nobilissimam“.

2) Amm. Marc. XXIII 6, 24: „qua per duces Veri Caesaris expulsata“. — Idem XXIV 5, 3: „quae loca pingui situ et cultu, quibus Coche, quam Seleuciam nominant, haud longius disparatur ..... antegressus cum procursatoribus princeps (sc. Julianus imperator adversus Persas profectus) et civitatem desertam conlustrans a { sacro / Vero / Severo } principe quondam excisam .....“. — „Sacro“ habent codd., „Vero“ vulgo legitur; „Severo“ nuper emendavit Gardthausenius (Amm. Marc., ed. Lips., 1875, Vol. II, p. 19 annot.). Sane facilius e „Severo“ quam e „Vero“ vocabulo ortum esse vocabulum „sacro“ concedes, atque constat, a Septimio Severo iterum urbem esse captam (cfr. Dio Cass. 75, 9). Tamen etiam „Vero“ legi potest.

3) Rufi breviar. c. 21.

4) Eutrop. VIII 10.

5) Euseb. chron. II p. 170 Schoene. — Versio Armenia Seleuciae deletae mentionem non facit.

6) Oros. VII 15.

Digitized by Google

a Vero esse dirutam, tum ad Hydaspem urbem illius nominis omnino non inveniri[1]).

Seleucia et Ctesiphonte captis ac deletis verisimile est L. Verum in Mediam exercitum duxisse[2]) atque Medici nomen acquisivisse, quod demum inde a medio anno 166 in titulorum numerum esse relatum infra demonstrabimus.

Caput V.

De cognominibus principibus Marco et Vero concessis et de fine belli triumphoque quaestiones chronologicae.

§ 1. Bello Armeniaco Parthico[3]) uterque imperator nomina sibi comparavit Armeniaci Parthici Maximi Medici patris patriae. Sed quo tempore haec nomina accepta fuerint et quamdiu valuerint, non facile cognoscitur. De hac re infra sin-

1) De Seleucia urbe ad Tigrim sita cfr. dissertationem quam conscripsit Fabianus „de Seleucia Babylonia", Lips. 1869. Hic funditus eversam esse urbem a L. Vero opinatur (p. 69). — Constat testimonio Dionis Cassii (75, 9), Septimium Severum imperatorem anno p. Chr. n. 201 Seleuciam Babylonemque urbes invenisse desertas; item Iulianum, ut tradit Amm. Marc. l. c. — Clessius (Pauly, Realencyclopädie, VI, 1, p. 952, annot.) urbem a L. Vero non prorsus dirutam esse vult; nam apud Rufum, Eutropium, Capitolinum, Aurelium Victorem, Orosium de capta solum urbe, non de diruta esse mentionem. Atque haec addit: „Nur Dio und Amm. Marc. gedenken der Zerstörung durch Feuer und dieser der darauf folgenden Verödung, was aber Beides von völliger Vernichtung und menschenleerer Grabesstille wohl zu unterscheiden ist". Itaque de urbe per saecula florente loqui (atque id quidem expressis verbis) auctores posterioris aetatis: Liban. or. fun. p. 319. 322; Procop. B. Pers. II 28; Theophan. I p. 496; Theophyl. V 6. — Mihi non propositum est, hoc loco rem expedire.

2) Terram montibus horrere si observaveris, Mediam re vera expugnatam esse vix credas, etiamsi Verum terram intrasse non deneges. Cfr. Pauly, Realencycl. IV. p. 1684, s. v. „Media". — Iter in Mediam factum Spiegelius (l. c. p. 182) tribuit Statio Prisco, Galitzin (l. c. p. 134) Martio Vero; testimonia rationesve non attulerunt.

3) Hanc belli appellationem ex titulis manifestam esse supra ostendimus: vid. p. 19, annot. 6.

Digitized by Google

gularem appendicem addam, cuius argumentum hoc ipso loco brevi enarrare non a re videtur.

Verus imperator Armeniaci nomen a. p. Chr. 163 suscepit, Marcus paulo post, fortasse exeunte ipso illo anno. Parthici Maximi nomen sumpsit Verus a. 165, Medici a. 166 die triumphi, Marcus utrumque nomen anno demum 166 usurpavit. Patris patriae nomen quo anno imperatores titulis inseruerint, in discrepantia numorum et inscriptionum eruere difficile est, sed veri simile videtur, utrique iam a. 166 a senatu illud nomen datum esse positumque in monumentis publicis praeter numos; deinde honore repetitio a. 176 etiam in numos ess receptum. — Continuaverunt nomina imperatores per annos 166—169, h. e. usque ad L. Veri mortem, sed ita, ut Medici nomen in numis quidem non reperiatur nisi semel anno 166.

Post fratis obitum Marcus in nummis noluisse videtur nominibus honorari, caretque omnibus titulis usque ad a. 172, quo Germanici nomen accepit; inscriptiones vero hac quoque in re a numis discrepant, ita ut inde ab anno 172 nomina prius acquisita novis cumulent. — Quod iam dixi, de hac re infra pluribus disserere mihi propositum est.

§ 2. Jam aliae quaestiones chronologicae expediendae sunt, atque praecipue id agitur, quo tempore bellum sit confectum; nam de initio iam supra[1]) satis mihi videor disseruisse.

Capitolinus[2]) haec habet: „duces autem confecerunt Parthicum bellum ..... per quadriennium“ et[3]) „egit autem per quadriennium L. Verus hiemem Laodiciae, aestatem apud Dafnen, reliquam partem Antiochiae“. Quae si diligenter ad verbum interpretatus fueris, bellum esse gestum inter annos 162 et 165 putabis, probatque hos terminos ut veros belli fines Marquardtius[4]).

1) V. pag. 17 sqq.
2) vit. Veri c. 7, 1.
3) ibid. § 3.
4) Röm. Staatsv. I p. 212. 263.

Digitized by Google

Sed cum alii viri docti [1]) initium belli iure ac merito iam anno p. Chr. 161 tribuant, Capitolinum equidem arbitror annos computasse inde ab adventu Veri in Syriam, quem in annum demum 162 incidisse supra [2]) ostendimus. De fine, h. e. de pace conciliata, vix certi aliquid definiri videtur posse. Nam cum annum 165 vindicent Tillemontius [3]), Renierius [4]), Peterus [5]), Spiegelius [6]) contra insequentem annum (166) mavult Noëlius de Vergers [7]). Atque a. 166 pacem fuisse satis docent numi [8]), neque utaris testimonio numis quibusdam a. 165 signatis apud Cohenium [9]) exstantibus; affirmat enim vir doctissimus, deae imaginem quam numi exhibeant eodem iure intellegi Felicitatem ac Pacem. Quare, quoad alia certiora testimonia non compareant, in dubio relinquitur, num pax iam a. 165 aut initio insequentis anni sit conciliata.

Tamen hoc certum est, Verum a. demum 166 ex oriente Romam cum revertisset, una cum fratre triumphum egisse. Hoc enim tradit Capitolinus [10]) confirmaturque diplomate militari nuper in lucem prolato, quod infra accuratius explicabimus [11]). Datum est vicesimo Marci tribunatu, L. Veri sexto, nostrae igitur aerae

1) sic Tillemont, Vol. II (Paris 1720), p. 589; Renier, Mélanges d'épigraphie, Paris 1854, p. 121 sqq.; Spiegel, l. c. III p. 180. His accedere videtur Noëlius de Vergers, Essai, p. 27 sqq.

2) pag. 18 s.

3) Tillemont II p. 352 sqq.; cfr. p. 555. p. 584.

4) l. c.

5) Röm. Gesch., III³, pag. 566.

6) l. c. pag. 182.

7) l. c. pag. 58.

8) vid. Cohen II, M.-Aurèle, n. 143. 146. 288.

9) Cohen II, M.-Aurèle, n. 164. 719—21. — Etiam ex aliis annis sunt numi, in quibus diiudicari non possit utrum Pax an Felicitas depicta sit: vid. Cohen II, M.-Aurèle, n. 126. 127. 172. 244. 251. 253. 254. 282. 309. 310. 319. 320. 331. 694. 695.

10) vit. Marci 12, 14: „fratre post quinquennium reverso", anno igitur 166. (cfr. pag. 32 § 2). — Cfr. Tillemont, not. VIII ad M. Aurel., (Vol. II p. 555 s.), ubi exponit, ex quibus rationibus L. Verum anno demum 166 revertisse efficiatur. — Eckhel VII p. 51. 92.

11) Dipl. LXI in Eph. epigr. II (1875), p. 460 s. — Vid. Tit. n. 22.

Digitized by Google

a. 166. Consules tum fuerunt ipso diplolomate teste M. Vibius Liberalis P. Martius Verus. Si quaeris, hi viri quibus mensibus fasces gesserint, te relegere iubeo titulum Perusinum quendam [1]), quo efficitur, de Martio atque Aprili a. 166 mensibus esse cogitandum. Ergo hoc tempore imperatores honoribus illis veteranos donaverunt, appellaturque Marcus Armeniacus tantum, L. Verus autem Armeniacus Par(thicus Maximus), nondum Medicus. — Jam inde a die, quo triumphum egerunt, uterque imperator ornatur nominibus Arm. Parth. Max. Med.: ita leguntur in titulo Romano [2]) ante diem X. K. Sept. a. 166 composito. Quae cum ita sint, triumphum inter mensem Martium (seu Aprilem) et illum Augusti diem actum esse nostro iure contendimus. Neque ante Martium mensem Verum Romam revertisse inde efficitur quod in diplomate illo „proc." (i. e. proconsul) nominatur itaque extra muros versatur, Marcus vero Romae commoratus illa appellatione caret [3]). — Ceterum vertente anno 166 triumphum esse habitum numi quoque docent. Accedit quod Capitolinus [4]) L. Verum tunc petiisse tradit, ut Marci filii Caesares appellarentur. Commodum autem scimus inter Caesares esse receptum a. 166 Octobris mensis die XII [5]).

Denique liceat adnotare, Eusebium quoque triumphum collocare in anno Marci imperatoris sexto, h. e. p. Chr. 166 [6]).

---

1) Orelli 4038; de hoc quoque titulo postea agemus (App. III 4).

2) Orelli 874 = C. J. L. VI 360. Ipsa verba tituli habes in fine libelli mei (Tit. n. 23); cfr. App. V § 2.

3) De imperatoribus Romanis nomine proconsulis insignibus vid. quae exposuit Mommsenus, Röm. Staatsrecht II 2², pag. 753 (ubi exempla habes ex titulis desumpta: annot. 4); ibid. p. 769. (annot. 3). p. 761. p. 810 sqq. — Cfr. qnae idem vir doctissimus adnotavit ad ipsum diploma de quo diximus: Eph. epigr. II, 1875, pag. 463, annot. 1.

4) vit. Marc. 12, 8.

5) Lampr. vit. Comm. 11, 13: „Nominatus inter Caesares quarto iduum Octobrium Pudente et Pollione conss."; cfr. c. 1, 10.

6) Euseb. Vol. II, p. 170 Schoene. — Notandum est Eusebium optime consentire cum iis quae aliunde comperimus, cum de initio belli aliisque rebus chronologicis dissentire eum supra viderimus.

Digitized by Google

Caput VI.

Quaeritur quid bello Parthico sit effectum.

Jam vero quaerat quispiam, quid tandem bello Armeniaco Parthico effectum sit. Rectissime quidem observat Spiegelius [1]), Parthorum vim valde esse imminutam. Sed ex scriptoribus aliquid certi promere difficile est. Nam cum triumphus quem a. 166 L. Verus de hostibus victis egit nusquam fere non tradatur, et de pacis condicionibus et de rationibus quae in oriente bello confecto initae sint, nullum prope aliud testimonium proferre licet quam pauca illa verba Capitolini [2]): „confecto sane bello regna regibus, provincias vero comitibus suis regendas dedit". Atque Armeniis Soaemum regem esse redditum vel anno 164, ut supra exposuimus [3]), numis evincitur. Sed terram illam nondum fuisse pacatam testis est Dio. Legimus enim [4]) satrapam quendam nomine Teridatem, quamvis novas res in Armenia molitus, occiso rege Heniochorum — gentis in illa regione habitantis — adversus ipsum Verum destrinxisset gladium, tamen ab imperatore Marco non morte multatum, sed in Britanniam esse deportatum. — Atque haec quidem res quia a Dione obiter cursimque tantum narratur, ut Marci in hostes et in inimicos clementiam indulgentiamque insigni aliquo exemplo illustret, quo tempore acciderit non satis potest expediri. Tamen in narratione illa Dionis si rerum conexus servatus est, res non ita multo ante motum Cassianum evenisse atque Verus ille qui nominatur in-

---

Ceterum Hieronymus triumphum iam anno quinto Marci imperatoris celebratum esse tradit.

1) l. c. III p. 182.
2) vit. Veri c. 7, 8.
3) p. 24 s.
4) Dio 71, 14.

Digitized by Google

tellegendus videtur Martius Verus, quem illa aetate Cappadociae provinciae praefuisse infra demonstrabimus [1]).

Praeterea in numerum regum de quibns apud Capitolinum [2]) mentio est referendi fortasse sunt Osrhoenes vel Edessae principes quorum amicitia Romanos, dum bellum gerebatur, usos esse numorum graecorum testimonio ni fallor elucet [3]).

Sed ut at provincias transeamus quas L. Verum bello confecto comitibus suis tradidisse scribit Capitolinus [4]), imprimis videntur intellegendae Cappadocia et Syria, quas quidem provincias bello Parthico composito administratas esse a Martio Vero et ab Avidio Cassio veri est simillimum.

De Mesopotamia, quam tunc captam quidem esse constat, quid factum sit, nusquam satis perspicue indicatur. Sane in Sexti Rufi breviario obvia sunt haec verba [5]): „sed post sub Antoninis duobus, Marco et Vero, ac Severo Pertinaci ceterisque principibus Romanis, qui adversum Parthos eventu vario dimicarunt, quater amissa, quater recepta Mesopotamia est". — His accurate perlustratis terram illam tunc denuo in provinciae Romanae formam esse redactam concedes Petero? [6]) Equidem illud contendere vix ausim, praesertim cum titulis prorsus careamus, ex quibus de Romanorum provinciae administratione certiores

1) Initio belli Arm. Parth. rem illam accidisse vult Tillemont, M.-Aurèle, art. VI, Vol. II, p. 347, medio belli tempore Galitzin l. c. p. 134. — Equidem utrumque vix probaverim. — De Martio Vero vid. App. II 4.

2) et 4): l. c.

3) Eckhel D. n. III p. 506 sqq. — De his numis vid. appendicem quam dissertationi nostrae annexuimus (IV § 2).

5) breviar. c. 14. In contextu verborum sequor edit. Wend. Foersteri (Vindob. 1874, pag. 14).

6) Röm. Gesch. III[4], pag. 566. — Ceterum plerique censent, illo tempore Mesopotamiam in provinciae Romanae formam esse redactam: cfr. Kiepert pag. 154; Noël, Essai p. 57. — Marquardt (I p. 279 fin.) quid sibi videatur non satis dilucide exposuit. — Denique cfr. quae explicavit Tillemont, Vol. II, M.-Aurèle, art. VIII p. 353; cfr. Reimar. ed. Dion. II p. 1178, ann. ad lin. 30.

Digitized by Google

fiamus. Sane inde a Septimio Severo Mesopotamiam in provinciarum Romanarum numero fuisse certum est, nec non tituli exstant, licet pauci, in quibus praefectus vel procurator Mesopotamiae commemoratur[1]).

Caput VII.

De Avidii Cassii legatione prov. Syriae et de rebus ab eo gestis usque ad seditionem.

§ 1. Provincia Syria, bello Parthico confecto, i. e. inde ab anno p. Chr. 166, administrata videtur esse ab Avidio Cassio. Sic statuit Waddingtonius[2]). Atque obtinuisse illum Syriam per annos p. Chr. 169, 170, 171 sequitur ex sex titulis in Syria repertis, quos publici iuris fecit Waddingtonius sub n. 2212, 2237, 2331, 2438, 2525, 2528[3]). Quorum unus (2525) ante mortem L. Veri exaratus est — mortuus autem esse traditur initio a. 169[4]) — tribus (2237, 2438, 2528) annus nonus

1) vid. Marquardt, Röm. Staatsverw. I. p. 280; Kuhn, Verf. d. röm. Reichs, Lips. 1865, II, pag. 196. — Apud utrumque in annot. exempla laudantur. — cfr. etiam Hirschfeld, Röm. Verwaltungsgesch. p. 261, ann. 2.

2) Compt. rend. de l'acad. des inscr. et belles-lettres, tom IX, Paris 1865, pag. 121.

3) Editi sunt tituli in collectione inscriptionum quam Waddingtonius addidit libris Lebasii de itinere in Graeciam Asiamque minorem facto. Verba titulorum habes in fine libelli mei (Tit. n. 34—39). Avidii Cassii legationi Syriae quam statuimus repugnare videtur titulus C. J. G. III. n. 4617: huius quoque verba habes in fine libelli, addita annotatione (Tit. n. 40).

4) Obiit Verus prope Altinum Venetorum, cum relicto bello Marcomannico in urbem rediret. Cfr. Capit., Ver., c. 9, § 11. — Atque Galenus quidem (XIV p. 649) media hieme periise illum dicit. Cfr. etiam XIX p. 17 s. — Itaque Eckhelius mortuum esse L. Verum contendit medio mense Januario a. p. Chr. 169 (Vol. VII p. 94): nam exstant numi a. trib. pot. IX signati, h. e. a. 169. cfr. Clinton Fast. Rom. p. 162.

Digitized by Google

Marci imperantis indicatur, i. e. a. p. Chr. 169, uno (2331) annus decimus, i. e. 170, uno (2212) annus undecimus, i. e. 171.

Iam maior aliqua dignitas fuisse videtur Avidio Cassio quam quae erat legati Augusti pro praetore prov. Syriae. Dicit enim Dio[1]: *τὸν μέντοι Κάσσιον ὁ Μάρκος τῆς Ἀσίας ἁπάσης ἐπιτροπεύειν ἐκέλευσεν.* — Hoc Dionis loco *Ἀσίαν* quod legitur vocabulum ad maius territorium pertinere quam fuit provincia Asia proconsularis iam pridem viri docti vulnerunt[2]). Atque recte illud quidem; nam complures noti sunt, qui illa aetate provinciam Asiam pro consulibus rexerunt[3]). — Quamobrem *Ἀσίαν* idem valere atque orientem, et totam illam plagam esse intellegendam, quae inter Euphraten Taurum Aegyptum interiacet coniecit Noëlius de Vergers[4]). Huic coniecturae fafet ni fallor, consentitque cum verbis Dionis locus apud Flavium Philostratum conspicuus[5]), ubi Cassius appellatur „*ὁ τὴν ἑῴαν ἐπιτροπεύων*“.

Itaque singulartem quendam et maiorem gradum ille obtinuit, quem similem fuisse Marquardtius[6]) contendit iis quos annis a. Chr. inde ab a. 23 usque ad a. 13 Agrippa[7]), a. p. Chr. 17 Germanicus[8]),

---

1) Dio 71,3; cfr. etiam Zonar. XII. 2.

2) Tillemont II pag. 377 (M.-Aurèle, art. XVIII). — Reimarus, ed. Dion. Cass. II. 1178, adn. ad lin. 43.

3) Vid. Waddington, Fastes des provinces Asiatiques (in Expl. ad Lebas), n. 149 sqq. (Sex. Quinctilius Maximus, Q. Cornelius Proculus, M. Junius Rufinus Sabinianus, Cornelius Cethegus, P. Mummius Sisenna Rutilianus, Gratus).

4) Essai p. 98, annot.

5) Flav. Philostr. vit. sophist. XIII, p. 563.

6) Röm. Staatsverw. I p. 263.

7) Vid. quae de Agrippa fusius exposuit Mommsenus, Res gestae div. Aug., p. 113: „M. Agrippa toti orienti praefuit ab u. c. 731 ad a. 741 (cfr. Joseph Antiqu. XVI, 3, 3)“ etc.

8) Cfr. Tac. ann. II 43: tunc decreto patrum permissae Germanico provinciae quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis qui sorte aut missu principis obtinerent.

Digitized by Google

a. p. Chr. 54 Corbulo [1]) obtinebant [2]).

Comprobatur haec sententia quae Dionis et Philostrati nititur testimoniis eo quod Cassius et in Aegypto [3]) et in Arabia et in Armenia bellum gessisse traditur [4]). Verumtamen observandum est, propriam Cassii provinciam fuisse Syriam [5]) finitimasque provincias, dum ille munere fungebatur, suos proprios legatos habuisse. Constat enim Martium Verum tunc Cappadociae praefuisse Aegyptoque praefectum fuisse Flavium Calvisium [6]).

---

1) cfr. Tac. ann. XIII 8: quod Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat videbaturque locus virtutibus patefactus. Copiae orientis ita dividuntur, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Suriam et legatum eius Quadratum Vmmidium remaneret, par civium sociorumque numerus Corbuloni esset, additis cohortibus alisque, quae in Cappadocia hiemabant". — ib. c. 9 fin: „testante contra Corbulone non prius ..... quam ipse dux bello delectus spes eius ad metum mutaret".

2) Legas quaeso quae scripsit Kuhn, l. c., II p. 185: „Die römische Geschichte bietet dazu, dass mehrere dem Begriff nach selbständige Provinzen vorübergehend unter Einem Statthalter verbunden sind, zahlreiche Belege dar". — Sequuntur exempla.

3) Dio 71, 4; Capitolin. Marc. c. 21.

4) vit. Avid. Cass. c. 6.

5) Appellatur πρεσβευτὴς Σεβαστῶν ἀντιστράτηγος: Wadd. 2525; cfr. 2331, 2528; ὑπατικός: Wadd. 2212, 2237, 2438. — Atque prior appellatio eadem est quae latine exprimitur „leg. Augg. pr. pr."; ὑπατικὸς vero est is quem latini dicunt consularem. Cfr. Wadd. ad n. 2212; Marquardt I p. 408. Decurtata autem est appellatio legati Augusti qui consulatu est functus, ac saepius obvia est inde a secundi p. Chr. saeculi parte posteriore. — Cfr. etiam Dio 71, 31: „ὁ Κάσσιος ἐν τῇ Συρίᾳ τὴν πατρίδα αὐτοῦ ἐχούσῃ ἡγεμονεύων", — Notandum est, provinciam Syriam, omnium prope nobilissimam, semper administratam esse a viris consularibus: cfr. Tac. Agr. c. 40: „ . . . . Suriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam". — Capitol. Pertin. c. 2 fin.: „ . . . bene gestis his provinciis Syriam meruit". — Cfr. Kuhn l. c. II p. 179; Marquardt I p. 258; Mommsen Res gestae divi Aug. p. 112 extr.

6) Dio 71, 23. 28. — Similiter res se habebat sub Germanico et sub Corbulone: sub hoc enim Syria administrabatur ab Vmmidio

Digitized by Google

Iam vero Dionis quae protulimus verbis [1]) usus Borghesius contendit [2]), Palaestinam sive Judaeam tunc cum Syria provincia esse coniunctam. Sed argumentis gravissimis refutavit sententiam Bormannus [3]). Ostendit enim, Palaestinam, quam inde ab a. p. Chr. 66 suum proprium legatum habuisse est certissimum, neque inde ab Avidio Cassio usque ad Pescennium Nigrum neque postea cum Syria provincia coniunctam fuisse, praeterea Commagenen partem Syriae fuisse, atque ipsam provinciam Syriam inde a Septimio Severo demum in duas provincias divisam, Syriam Coelen ac Syriam Phoenicen [4]).

§ 2. Sed ut ad Cassium redeamus: dum Syriam administrabat, populo gratissimus erat, imprimis Antiochenis, qui etiam in rebellione cum illo conspirasse traduntur. [5]) Nec parvi momenti videtur fuisse, quod ille ipsam Syriam habebat patriam; natus enim fuit Cyrrhi [6]). Atque quanta gratia auctoritateque apud populum voluerit, Waddingtonius, quo est ingenio et acu-

---

Quadrato (Tac. ann. 13, 8. 9: vid. verba supra), sub illo a Cn. Pisone (Tac. ann. 2, 43: „ praefeceratque Cn. Pisonem“ etc.).

1) Dio 71, 3 init.

2) Oeuvres IV 160 sqq.

3) Bormann, de Syriae provinciae Romanae partibus, dissert. Berolin. 1865.

4) Duo adhuc legati nominari possunt, qui Avidii Cassii tempore Iudaeam provinciam obtinebant, Flavius Boëthus (a.167) et C.Erucius Clarus. — De Flavio Boëtho cfr. Galen. de libris propriis 1 extr. (Medic. graec. opera ed. Kühn, Vol. XIX, p. 16): „*Βοηθὸς . . . . . ἄρξων τότε τῆς Παλαιστίνης Συρίας*“; cfr. II p. 215; Marquardt, l. c., I 262, annot. 5. — C. Erucius Clarus, cos. 170, conspicuus est in titulo Berytensi (Wadd. 1842 a) et in tit. Ephesio (Wadd. Explic., Vol. III, part. 2. not. ad 1842a; integra verba huius tituli habes apud Wadd., Fastes des prov. Asiat., sub n. 151). — Vid. titulos in fine libelli mei (Tit. n. 31. 32).

5) Vulc. Gall. vit. Avid. Cass., c. 6, 6: „amatusque est ab omnibus orientalibus et speciatim ab Antiochensibus, qui etiam imperio eius consenserunt“.

6) Dio 71, c. 22, 2.

Digitized by Google

mine, alia quoque ratione eruit [1]) — Nam cum Cassius a senatu hostis esset declaratus atque secundum pristinam consuetudinem nomen viri in monumentis publicis prorsus exstingui debuisset [2]), id quidem in titulis illius honori dedicatis factum esse, ita autem ut leviter tantum exsculptum facile legi posset [3]).

Dum Syriam administrat Cassius, Bucolici milites [4]) in Aegypto resurrexerunt, de quo tumulto legas quae narraverunt Capitolinus [5]), Vulcacius Gallicanus [6]), Dio Cassius [7]). Incitaverat rebellionem Isidorus sacerdos, atque satis magnum instabat periculum, cum universa fere Aegyptus [8]) sollicitaretur. Fusi fugatique sunt Romani milites qui in Aegypto tendebant, atque quominus ipsa Alexandria caperetur non impeditum est nisi Cassii propero adventu. Contigit enim, ut homines seditiosi dissensionibus exortis ad obsequium redirent [9]). Atque motam oppressamque

1) Cfr. quae adnotavit Wadd. ad n. 2212 et Compt. rend. l. c.

2) Sic factum esse meminis de monumentis Domitiani et Commodi imperatorum: Suet. Domit. 23; Lampr. Comm. 17, 6. — Ut exempla afferam, Commodi nomen erasum est: C. J. L. VI 1023; Henzen 6597; Domitiani: Henzen 5431.

3) Aspicias titulos ex Wadd. desumptos in fine libelli mei positos. (Tit. n. 34—39).

4) De Bucolicis cfr. Reimarum ad Dionem Cass., II, p.1179 ann. ad l. 73 („Sed qui „milites" Mario — sc. Mario Maximo — rectius „latrones" dici debebant". — „*Βουκόλια* vallis quaedam in Aegypto, exundationes Nili recipiens" e. q. s. — Vid. Heliodor. Aethiop. I 2; II 5; Herod. II 17.

5) vit. Marci c. 21 init.

6) vit. Avid. Cass. c. 6, 7.

7) Dio 71, 4.

8) Cfr. Dio 71, 4 init.: *καὶ τοὺς ἄλλους Αἰγυπτίους προσαποστήσαντες.*

9) Dio l. c., § 2: ..... *τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ Ῥωμαίους νικήσαντες μικροῦ κὰι τὴν Ἀλεξάνδρειαν εἷλον, εἰ μὴ Κάσσιος ἐκ Συρίας πεμφθεὶς ἐπ' αὐτούς, καὶ στρατηγήσας ὥστε τὴν πρὸς ἀλλήλους σφῶν ὁμόνοιαν λῦσαι καὶ ἀπ' ἀλλήλων ἀποχωρίσαι, διὰ γὰρ τὴν ἀπόνοιαν καὶ τὸ πλῆθος αὐτῶν οὐκ ἐθάρρησε συμβαλεῖν ἀθρόοις αὐτοῖς, οὕτω δὴ στασιάσαντας ἐχειρώσατο.* — Capitol. vit. Marci 21. 2: „cum per Aegyptum Bucolici milites gravia multa fesissent, per Avidium Cassium

Digitized by Google

esse seditionem Tillemontius[1]) vult a. 170, quam sententiam neque refellere neque comprobare aut velim aut possim, quippe cum adhuc certis testimoniis destituti simus, quibus eluceat, quo tempore seditio facta sit.

Neque de bello quod Cassium in Arabia gessisse tradit Vulcacius[2]) certi quicquam statui potest. Tangit rem Marcus in allocutione ad exercitum facta, priusquam adversus Cassium movit[3]).

Caput VIII.

De rebellione Avidii Cassii a. p. Chr. 175 facta.

Restat, ut ipsam seditionem Cassii tractemus, de qua scripserunt Vulc. Gall. c. 7 sqq., Dio Cass. 71, 22 sqq., Capitolin. Marc. c. 25[4]).

§ 1. Atque praecipue in discrimeu venit ipse annus, quo tumultum et factum et confectum esse nos existimemus. De qua re antiquorum temporum scriptores cum nos destituant, coniectura tantum augurari licet. Iam cum adhuc viri docti fere omnes consentirent, cogitari non posse alio de anno ac de a. 175 p. Chr.[5]), nuper Waddingtonius in commentario illo quem iam commemoravimus[6]) annum defendit p. Chr. 172 repetiitque sententiam in explicationibus, quibus illustravit libros illos Lebasii inscriptiones Asiae comprehendentes[7]). Atque ut viris doctis per-

---

retunsi sunt . . . . . .“ — Eadem verba: Vulc. Gall., vit. Avid. Cass. 6, 7. Uterque enim secutus est Marium Maximum.

1) Tillemont, M.-Aurèle, art. XIV, Vol. II, p. 366; cfr. p. 584.

2) Vulc. Gall. 6, 5.

3) Dio 71, c. 25, 2, ubi exstant ipsa Marci orationis verba.

4) Silentio praetermiserunt motum Eusebius (II 170 Schoene), Eutroplus (VIII 12), Orosius (VII 15).

5) Sic Tillemont, M.-Aurèle, article XVIII: Vol. II pag. 376; p. 585; Eckhel D. n. VII p. 62; Clinton, Fast. Rom. p. 170; Peter Röm. Gesch., III³ p. 572; etiam Noëlius (l. c. p. 90 sqq.), ut videtur. — Marquardtius annum in dubio relinquit: p. 263 s.

6) Compt. rend. 1865, p. 121.

7) Explicat. ad Lebas, not. ad n. 2212.

Digitized by Google

suaderet, certissima argumenta haec esse contendit. Primum enim omnia Cassii monumenta publica quaecunque exstent ad annos priores pertinere, inde vero ab anno p. Chr. 171 nulla superesse. — At quid iudicas de altera quam protulit causa?: in epistola Marci ad Faustinam uxorem ipsa seditione instante data[1]) Pompeianum imperatoris generum indicari consulem in annum sequentem designatum. — Quid censes? Constat Tib. Claudium Pompeianum, post L. Verum mortuum Lucillae coniugem eundemque Marci generum[2]), sane consulem fuisse anno 173, sed, quod demonstrant tituli[3]), iterum fasces gessisse. Ad quem consulem verba quae in epistulis illis exstant vix referri possunt.[4]) Iam infra ostendemus epistularum auctoritatem a viris doctis merito in dubium esse vocatam[5]). Sed fac esse genuinas ac sinceras: verba quae de cousulatu Pompeiani agunt Borghesius[6]) ostendit referenda esse ad Claudium Pompeianum Quintianum a. 175 consulem suffectum, qui quidem, cum neptim imperatoris in matrimonium duxisset, illius gener nominari bene potuisset[7]).

Utut illa se habent, hoc certum est: inter ea quae epistulae docent et ea quae praeterea de seditione scimus discrepantiae sunt tantae, ut vix expediri possint. Dio enim scribit[8]), orta seditione Marcum cum Germanis Sarmatisque bello conflixisse, commoratum igitur esse in Pannonia vel, si Ammianum

1) vit. Avid Cass. c. 11, 8.

2) cfr. Spartian, vit. Caracallae, c. 3, 8.

3) cfr. titulos C. J. L. III 3116. 1790. 6176 (vid. Tit. n. 18—20.)

4) cfr. imprimis „orationem ad senatum“: vit. Avid. Cass. c. 12, 2: „.... cuius aetas olim remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes intervenissent“ etc.

5) vid. infr. App. II 3 a.

6) Oeuvres V p. 442.

7) Laudat Czwalina (dissert. Bonn 1870, p. 37) Ulpianum (Digg. 50, 16, 136): „Generi appellatione et neptis et proneptis tam ex filio quam ex filia editorum ceterorumque maritos contineri manifestum est“.

8) Dio 71, c. 17, quem locum velim compares cum c. 3, § 2 (*τὴν Παννονίαν ἔχων ὁρμητήριον*).

Digitized by Google

Marcellinum [1]) sequi mavis, in Illyria. Idem Dio testatur, Marcum cum primum milites in Syria rebellare comperisset, id egisse, ut quam celerrime cum Jazygibus pacem iniret et Commodum filium Roma arcesseret [2]). Atque tam raptim conciliatam esse pacem cum illis, ut senatus non antea consuleretur [3]), quod alias fieri solebat. Huc accedit quod refert Capitolinus [4]), Romae homines metuisse, ne Cassius „absente Antonino" in urbem veniret, ai fere eadem tradit Vulcacius Gallicanus [5]).

Haec omnia si computaveris, Marcum ipso seditionis tempore Romae non affuisse intelleges, sed bello Germanico et Sarmatico relicto in orientem se continuo contulisse. — Sed quid docent illae epistulae [6])? Prope Romam Marcum de Cassio rebellante certiorem esse factum atque in Albano, h. e. in vicinia urbis, cum uxore consultasse, quid de Cassio fieret, mortemque illius comperisse prope Formias, nimirum in ipsa Italia; quam in itinere, cum Marcus imperator iam in oriente esset, nuntiatam esse testatur Dio [7]).

---

1) Amm. Marc. lib. 21. cap. 16, 11: „ . . . . . Marci illius dissimilis principis verecundi: qui, cum ad imperiale culmen in Syria Cassius surrexisset, epistolarum fascem ab eo ad conscios missum, perlatore capto sibi oblatum, illico signatum exuri praecepit, agens adhuc in Illyrico, ne insidiatoribus cognitis invitus quosdam habere posset offensos".

2) Dio 71, c. 22, 2: *τοῦ δὲ Κασσίου κατὰ τὴν Συρίαν νεωτερίσαντος σφόδρα ἐκπλαγεὶς ὁ Μάρκος τὸν Κόμμοδον τὸν υἱὸν ἐκ τῆς Ῥώμης, ὡς καὶ ἐς ἐφήβους ἤδη τελεῖν δυνάμενον, μετεπέμψατο.* — Cfr. quoque Joh. Antiochen., qui haec exhibet: *τούτων μὲν οὖν ἕνεκα ὁ Μάρκος τόν τε Κόμοδον ἐκ τῆς Ῥώμης διεπέμψατο, καὶ ἐπὶ τὴν Συρίαν ἐκ τῆς Παιονίας ἐστάλη* (Mueller, F. H. G. IV frg. 118, p. 582). — Commodus autem Roma profectus est, si Lampridium sequimur, medio mense Maio (Lampr. Comm. c. 12 init.: „profectus in Germaniam XIV. Kl. Aelias, ut postea nominavit").

3) Dio 71, 17.

4) vit. Marc. 25, 1.

5) vit. Avid. Cass. 7, 7.

6) vit. Avid. Cass. 9. 10.

7) Dio 71, 27.

Digitized by Google

Quid igitur? Dionem sequeris an epistulas? sententiam vulgatam atque viris prioris aetatis doctissimis probatam an Waddingtonii opinionem novam? Ut res plana fiat, componas ordine temporum atque animo comprehendas quae Dio[1]) tradit de rebus post L. Veri obitum gestis: proficiscitur Marcus in Pannoniam belli cum Marcomannis et Jazygibus gerendi causa, primo dubiis proeliis atque incertis victoriis rem gerit, postea devicit barbaros titulumque accipit Germanici. Tum Dio enarrata Bucolicorum in Aegypto seditione[2]) pergit in describendo bello Germanico: dimicat Marcus cum Quadis, quibus devictis septimum appellatur Imperator itemque Faustina nomen obtinet matris castrorum[3]). Denuo rebellant Jazyges atque ipso bello instante motus Cassii nuntiatur[4]).

Hoc igitur quem descripsimus ordine Dio tradit res esse gestas. Iam docent numi[5]), Marcum, postquam anno p. Chr. 169 iterum adversus Marcomannos exercitum movit, a. 172 Germanici titulo esse ornatum[6]) atque insequenti anno (174), Quadis fusis fugatisque, Imperatorem appellatum septimum[7]). Pax vero cum Jazygibus facta ut Cassianum motum antecedit, ita Dione teste[8]) devictis demum Quadis est conciliata.

Addas quae ex aliis scriptoribus de tempore Cassianae seditionis possunt colligi. — Teste Lampridio Commodus togam virilem accepit eo tempore, quo Cassius rebellavit[9]), Pisone

---

1) Dio 71, c. 3 sqq.
2) ibid. c. 4.
3) ibid. c. 10 extr.
4) ibid. c. 17.
5) Eckhel D. n. VII p. 58.
6) ibid. p. 59 s.
7) ibid. p. 61.
8) Dio 71, c. 13. 16. 17.
9) Lamprid. vit. Comm. c. 2, 2: „indutus autem toga est Nonarum Juliarum die, ... et eo tempore quo Cassius a Marco descivit.“

Digitized by Google

Juliano coss., h. e. a. p. Chr. 175 [1]), Nonis Juliis [2]). — Praeterea comperimus, Faustinam, quam constat anno 174 „matrem castrorum“ ab exercitu esse appellatam [3]), Marcum coniugem in orientem secutam in reditu Halalae, oppido sub radicibus Tauri montis sito [4]), mortuam esse [5]). Fuisse autem illam inter vivos anno 173, testimonio tituli Henzeniani 6015 [6]) pro certo est. — Neque neglegas titulum Alexandrinum [7]) qui a. 176 in honorem imperatoris positus esse videtur; hunc enim seditione oppressa in Aegypto sive Alexandriae commoratum esse tradit Capitolinus [8]).

Haec omnia si computaveris, quid concludes? Num dubitas quin ipsi anno 175 tribuenda sit seditio opinioque Waddingtonii reicienda? An totum rerum gestarum ordinem, qui cum ex

---

1) ibid. c. 12, 3: „isdem consulibus (sc. Pisone Juliano) togam virilem accepit“.

2) ibid. c. 2, 2 (vid. pag. 45, ann. 9). — De fonte Lampridii vid. quae adnotavi ad App. II 4 in fin. (ann.). — Cfr. etiam Capit. vit. Marc. 22, 12: „Filio Commodo arcessito ad limitem togam virilem dedit“, scil. postquam Roma in Pannoniam illum arcessivit (Dio 71, 22, 2). — Cfr. denique Eckhel D. n. VII p. 102.

3) In titulis Faustinam non inveni ornatam „matris castrorum“ nomine, (nam titulum Orell. 876 — vid. infr. Tit. n. 17 — interpolatum esse recte iudicavit Henzenus III p. 87), verum compluries in numis: sic Cohen, Méd. impériales, Vol. II, Faustine jeune, n. 2. 4. 29. 60. 145. 152. 192. 194. 195. (Numum n. 194 depictum habes: plan XIX ad Vol. II, pag. 592).

4) In hoc provinciae Cappadociae oppidum Marcus postea coloniam deduxit nomenque coloniae dedit Faustinopoli. — Cfr. Marquardt, l. c., I p. 215 (cum nota 5) — Capit. Marc. 26, 4. — Recens istud nomen coloniae obvium est in Itinerariis: cfr. Kuhn l. c. II 236 (cum annot. 1997).

5) Capit. l. c.; Dio 71, 29 init.: *κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον μετήλλαξε καὶ ἡ Φαυστῖνα.*

6) Tituli Henzen. 6015 (repert. Ferentini) verba habes infra Tit. n. 16.

7) C. J. L. III 13. Ipsa verba habes infra Tit. n. 6.

8) vit. Marc. c. 26, 1; cfr. Clinton, Fast. Rom. p. 170 s.

Digitized by Google

testimoniis rerum scriptorum tum ex numis titulisque inter se comparatis efficitur, prorsus neglegere audes [1])?

§ 2. Quomodo singulae res se exceperint in seditione et paranda et sedata vix cognosei potest: parum enim praebent litterae Dione teste [2]) Cassius Faustina conscia ac suadente rem molitus est, multaque de hac re disserit etiam Vulcacius Gallicanus, atque si respexeris quae aliunde de Faustina eiusque moribus novimus vix dubitabis quin re vera cum illo consilia communicaverit [3]). Falso rumore de morte Marci principis edito [4])

---

1) Forsitan contendas defendi sententiam Waddingtonii numis aliquot apud Cohenium conspicuis (Vol. II, M.-Aurèle, n. 641—643, pag. 546), qui a. 173 cusi adscripta habent vocabula: „Securit. publ.“; sed eadem inscriptio exstat in numis annorum posteriorum: a. 175: Eckhel VII p. 62, Cohen l. c. 200; a. 176: Cohen n. 201. 644. 645; a. 177: Cohen 202. — De tempore ad quod motus Cassianus sit referendus cfr. quoque quae disputavit Czwalina in dissertatione Bonnensi a. 1870. („De epistularum actorumque, quae a scriptoribus historiae Augustae proferuntur fide atque auctoritate“), p. 26 sqq., p. 31 sqq. — Mira sane legationis Cassii diuturnitas per decem prope annos (p. Chr. 166—175) continuatae, sed, ni prorsus me fallit animus, satis explanatur res singulari quo tunc usus est Cassius munere. (Cfr. quae supra p. 37 sqq. de hac re exposuimus).

2) Dio 71, 23. 24; cfr. Joh. Antioch. fr. 118.

3) Faustinam motus Cassiani consciam coarguit Marius Maximus: cfr. J. J. Mueller, l. c., p. 136. — Suspicione mrefellere studet Vulcacius Gallicanus (cfr. vit. Avid. Cass. 9, 9), usus epistulis illis subditiciis (vid. p. 43 et App. II 3a). Nostra aetate Faustinae defensor exstitit Ernestus Renanius, Acad. des inscr. et belles-lettres, Compt. rend., 1867, p. 203 sqq. — Observanda sunt verba quae exhibet Flavius Philostratus (Vit. Sophist. XIII 563), quorum testimonio Herodes Atticus monuisse Cassium videtur, ut proposito desisteret; frustra videlicet. — Verba Philostrati haec sunt: *Ἔστι δέ τις λόγος, ὡς νεώτερα μὲν ὁ τὴν ἑῴαν ἐπιτροπεύων Κάσσιος ἐπὶ τὸν Μάρκον βουλεύοι, ὁ δὲ Ἡρώδης ἐπιπλήξειεν αὐτῷ δι' ἐπιστολῆς ὧδε ζυγκειμένης· „Ἡρώδης Κασσίῳ· ἐμάνης“. τήνδε τὴν ἐπιστολὴν μὴ μόνον ἐπίπληξιν ἡγώμεθα, ἀλλὰ καὶ ῥώμην ἀνδρὸς ὑπὲρ τοῦ βασιλέως τιθεμένου τὰ τῆς γνώμης ὅπλα.*

4) Dio 71, 22, 2; Joh. Antioch. fr. 118 (F. H. G. IV 582), Capit. Marc. 24, 7; Vulc. Gall., vit. Avid. Cass. 7, 1 s.

Digitized by Google

Cassius cum se Imperatorem appellasset[1]), brevi tempore omnes terras cis Taurum sitas sub dicionem redegerat[2]). Sed legimus Clodium Albinum copias in Bithynia militantes commovisse, ut a rebellione abstinerent[3]). Expressis autem verbis tradunt scriptores Antiochenos cum Cassio conspirasse[4]). Conciliaverat sibi Cassius etiam Flavium Calvisium, Aegypti praefectum[5]), nec non Maecianum[6]) „cui Alexandria erat commissa“[7]).

Primum nuntium de rebellione exorta cum accepisset Marcus per Martium Verum, leg. Aug. pr. pr. prov. Cappadociae[8]), festinato agmine e Pannonia in orientem profectus iam in itinere

---

1) Capit. Marc. l. c.; Vulc. Gall. vit. Avid. Cass. l. c.

2) Dio 71, 23. — De legione III Gallica seditionis participe vide quae infr. (App. II 3 d in fin., ann.) adnotabimus.

3) Capitolin. vit. Clodii Albini c. 6, 2: „Bithynicos exercitus eo tempore quo Avidius Cassius rebellabat fideliter tenuit.“ Cfr. ibid. c. 10, 9 (ex epistula Marci): „Laudanda est Albini constantia, qui graviter deficientes exercitus tenuit, cum ad Avidium Cassium confugerent. et nisi hic fuisset, omnes fecissent.“

4) vit. Avid. Cass. c. 6, 6; Capit. Marc. c. 25, 8.

5) Dio 71, 28.

6) Maecianus a Capitolino (vit. Marc. 25, 4) filius Cassii habetur, quod Vulcacius ignorat (cfr. vit. Avid. Cass. c. 7, 4). Alium filium, Heliodorum, nominat Capit. Marc. 26, 11.

7) His usus verbis Dirksen („Die scriptores hist. Aug.“, Lips. 1842, p. 110 s.) Maecianum vult fuisse iuridicum Alexandriae. — cfr. Aemil. Kuhn: „Verfassung des röm. Reiches bis auf d. Zeiten Justinians“, Vol. II, Lips. 1865, p. 474 s.; Hirschfeld, R. Verw. I p. 263. — De ipso praefecto Aegypti verba illa intellegere non licet, quoniam illo tempore Flavius Calvisius erat praefectus (Dio l. c.). Verum etiam de iuridico Aegypti cogitare vetat Franzius C. J. G. III p. 313. Quod Mommsenus, Staatsr. II[1] p. 1032, adnotat (ann. 4): „Avidius Cassius machte den nicht minder angesehenen Juristen Maecianus dazu“ (scil. zum praef. praet.), edit. altera (1877, p. 1065, ann. 4) omisit, monente, ut videtur, Hirschfeldio (l. c. p. 227). — Itaque Maecianus aut filius ipsius Cassii est, quod teste Capitolino (l. c.) suspicatur Tillemontius (II p. 551, nota XVIII ad M. Aurel.), aut inter eos recensendus, qui beneficiis Cassii aucti cum eo consilia communicaverant.

8) Dio 71, 23.

Digitized by Google

ipsum Cassium comperit a duobus militibus, centurione et decurione, esse occisum [1]), cum tres menses atque sex dies principatum esset somniatus [2]). Quae cum ita sint, rebellionem oppressam esse suspiceris, praesertim cum respexeris verba Lampridii [3]), autumno a. p. Chr. 175 [4]).

---

1) Dio 71, 27. Cfr. etiam verba Joh. Antioch. l. c.: *ὁ γάρ τοι Κάσσιος ἀνειρεθεὶς πρός τινος τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἔφθασε.* — Etiam Maecianus et praefectus praetorio, quem Cassius instituerat, occisi sunt: Capit. Marc. 25, 4; Vulc. vit. Cass. 7, 4. — De Manilio Pudente, Cassii ab epistulis ut videtur, cfr. Hirschfeld l. c. pag. 206, ann. 2; p. 204, ann. 2.

2) Ipsa Dionis verba 71, 27, § 3: *καὶ ὁ μὲν οὕτω μῆνάς τε τρεῖς καὶ ἡμέρας ἓξ τὴν ἀρχὴν ὀνειρώξας ἐσφάγη.*

3) Lampr. vit. Comm. 2, 2: „indutus autem toga est (scil. Commodus) Nonarum Juliarum die ... et eo tempore quo Cassius a Marco descivit".

4) Mense Maio a. 175 interfectum eum esse dicit Peter, Röm. Gesch., III³, p. 572. Fortasse nititur verbis Lampridii quae modo contulimus. Hunc si sequimur, medio mense Maio a. 175 Commodus in Germaniam ad patrem profectus est; Cassius vero postea demum occisus est (mense Augusto: Clinton, Fasti Rom, p. 170). — Cfr. Zuercher „Commodus" (in Buedingeri „Unters. z. röm. Kaisergesch." I, 1868, p. 253). — Ad seditionem opprimendam Marcum imperatorem imprimis adiuvasse videntur Martius Verus, qui tunc praeerat Cappadociae (Dio 71, 23, 2 et 29, 2), et Pertinax (cfr. Capit. vit. Pertin. c. 2, 10: „Cassiano motu conposito e Syria ad Danuvii tutelam profectus est atque inde .... accepit").

Observanda quoque sunt haec verba, quae in fragmentis Dionis Cassii posuit Dindorfius (Vol. V, p. 206): *Ὅτι παρασκευαζομένου τοῦ Μάρκου εἰς τὸν κατὰ Κασσίου πόλεμον οὐδεμίαν βαρβαρικὴν συμμαχίαν ἐδέξατο, καίτοι πολλῶν συνδραμόντων αὐτῷ, λέγων μὴ χρῆναι τοῖς βαρβάροις εἰδέναι τὰ μεταξὺ Ῥωμαίων κινούμενα κακά.* — Itaque barbari populi promisisse videntur, se Marcum imperatorem contra Cassium esse adiuturos.

Propulsato periculo, quod rei publicae imminebat, Marcum iussisse tradit Dio (71, 31 init.), nullum in posterum ei provinciae praeesse, in qua natus esset; erat autem Cassius rebellis in ipsa Syria natus. — Atque successisse Cassio videtur in provincia Syria administranda Martius ille Verus, qui antea Cappadociam obtinuerat; constat enim illum Syriae praefectum fuisse inter annos 177 et 179: de qua re cfr. quae infra exponemus (App. II 4 in fin).

Digitized by Google

Denique addam, auctores qui de Cassio scripserunt, Dionem Cassium, Capitolinum, Vulcacium Gallicanum, Zonaram (XII 3 = p. P. I 596 A = ed. Pinder, Bonn 1844, II, p. 529 s.), cum de ipso motu pauca praebeant, multa verba facere, quanta clementia egerit Marcus in persequendis ac vindicandis iis, qui motus Cassiani conscii fuissent, praecipue quanta indulgentia usus sit erga consanguineos ipsius Cassii; paucos morte esse multatos, Flavium Calvisium praefectum Aegypti in insulam quandam deportatum esse tradit Dio 71, 28.

Digitized by Google

Appendix I.

L. Verus quomodo ipse bellum gesserit.

Ipse L. Verus, etiamsi summa belli ad eum delata esset, vel nihil vel certe paululum effecit, ut bellum gereretur atque cenficeretur.

Nam vide qualem L. Veri imaginem expresserit Capitolinus. Describit [1]) eum, cum tandem in Syriam pervenisset, Antiochiae et Daphnae proeliis gladiatoriis venatibusque navasse operam bellumque legatis commisisse gerendum, dum Marcus Romae belli rationem habuisset apparatumque instruxisset. Quibus addas quae alibi [2]) exposuit, illum iam dum mare traiceret voluptatibus quasi irretitum, Antiochiam cum pervenisset, vitae ratione haudquaquam immutata ab omni negotio paene vacuum hiemem Laodiceae, aestatem Daphnae, reliquam anni partem Antiochiae ita degisse, ut omnibus Syris risui esset; per quadriennium bellum per duces gessisse, Statium Priscum, Avidium Cassium, Martium Verum. — Haec quamquam non ad verbum fortasse sunt accipienda — compressis enim quasi manibus sedisse illum neque vestigio se movisse in belli diuturnitate, vix credas certisque testimoniis infirmatur [3]) — tamen quae de vita illius accepimus non multum a veritate videntur abhorrere.

1) vit. Marc. c. 8, 12.

2) vit. Veri c. 7, § 1 sqq. — Cfr. quae supra de itinere L. Veri diximus (p. 18, 19).

3) Cfr. vit. Veri c. 7, 6.

Digitized by Google

Atqui Xiphilinus [1]) Verum Antiochiae multas copias coegisse optimisque ducibus usum esse tradit. Haec etiamsi refellere nolim neque possim, tamen fortasse licet suspicari, illum honesta quasi praescriptione, ut dicam, ipsam rem occultasse. Quod verisimilius videtur, si proxima eius verba respexeris: addit enim, Verum ipsum in urbe remansisse, bellum Cassio gerendum tradidisse.

Sane si evolveris Frontonem oratorem fratrumque imperatorum praeceptorem munerique aulici historiographi, ut dicam, a. L. Vero praepositum, de illo nil commemoratum invenies nisi laudabilia. Laudat Fronto L. Veri „virtutes bellicas" et militaria facinora [2]), comparat bellum Parthicum Traiani auspiciis confectum cum eo quod L. Verus gesserit [3]), praedicatque imprimis clementiam iustitiamque quam Verus adversus barbaros prae se tulerit; Traianum vero more non excusato Parthamasirem regem supplicem interemisse [4]). Rem putat difficilem atque discrimen periculosum, (ut ipsius utar verbis), „tantas res a te gestas" describere, „quantas et Achilles gessisse cuperet et Homerus scribsisse" [5]). Praecipae laudat disciplinam a. L. Vero apud milites restitutam, depingitque acerbissimis verbis mores corruptissimos ac perditissimos, quibus ante illius adventum exercitus in Syria traditus fuerit. Tunc autem vetere disciplina revocata ad bonem frugem exercitum esse conversum [6]).

1) Dio Cass., epit. lib. 71, c. 2.

2) ad Verum II 1, p. 120 Naber.

3) Princ. histor. p. 204 Naber: „Bella igitur duo maxima a duobus maximis imperatoribus adversum Parthos nostra memoria pari eventu bellata contendere inter sese pro copiis cuiusque ducis et temporibus pergam: haud ignarus, fortia facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi: faveri praeteritis, invideri praesentibus.

4) Princ. hist. pag. 209 Naber. — De illo rege Armeniae eiusque morte cfr. etiam Eutrop. VIII 2; Dio 68, 18; Dierauer. l. c. p. 162 s. (cum annot.); Spiegel. l. c. p. 173.

5) ibid. p. 202.

6) Imprimis observandi sunt loci hi:

ad Verum II 1 (p. 128 Naber): „Exercitus tibi traditus erat

Digitized by Google

At Frontonem praeconem Veri et totius principis familiae fuisse apparet, nec cunctari debemus severitatem disciplinae militaris ducibus Veri attribuere. Nimirum ipsius Frontonis testimonio uti possumus: legas quaeso epistolam ad Avidium Cassium datam [1]).

Appendix II.

De Romanorum in bello Parthico gerendo ducibus.

1) de Attidio Corneliano.

Supra narravimus[2]), Attidium Cornelianum initio belli Parthici, ante L. Veri adventum, in Syria a Vologaeso esse fugatum. Illum cum ipse Capitolinus testetur[3]) tunc Syriam administrasse, invenimus etiam in titulis aliquot, quorum primus[4]) repertus est

luxuria et lascivia et otio diutino corruptus. Milites Antiochiae adsidue plaudere histrionibus consueti" etc..... „Huiuscemodi milites quibus imperiis contineres et ad frugem atque industriam converteres, nonne te Hannibalis duritia, Africani disciplina, Metelli exempla historiis perscripta docuerunt?"

Princ. hist. p. 206 Naber: „Lucio milites aut dilectu novo tirones sumendi fuerunt aut ... et molli militia corrupti". — Sed (ibid. p. 205): „(Traianus) in bellum profectus est cum cognitis militibus hostem Parthum contemnentibus" etc.

Princ. hist. p. 206: „ita longa desuetudine bellandi miles Romanus ad ignaviam redactus".

Princ. hist. p. 206: „Corruptissimi vero omnium Syriatici milites, seditiosi, contumaces, apud signa infrequentes, praesidiis vagi .... ac palantes de meridie .... temulenti; ne armatu quidem sustinendo adsueti, sed inpatientia laboris armis singillatim omittendis in velitum atque funditorum modum seminudi. Praeter huiuscemodi dedecora malis proeliis ita perculsi fuerunt, ut ad primum Parthorum conspectum terga verterent, tubas quasi fugae signum canentis audirent. — Ceterum legas etiam Tillemontii de L. Vero iudicium (vol. II, p. 343 s.; p. 348 s.)

1) ad amicos I 6 (p. 178 Naber).

2) vid. p. 17.

3) Capit. vit. Marci c. 8, 6.

4) Henzen 5484 = Waddington 2562 d = C. J. L. III 129. — Verba tituli habes in fine huius libelli (Tit. n. 26).

Digitized by Google

in loco quodam mediae Syriae, cui nomen est nunc El-Khisbé; qui quidem exaratus est a. p. Chr. 162; indicat enim L. Veri tribunatum secundum. — Eundem Attidium Cornelianum viri docti agnoveruut in titulo Geraseno, qui exstat C. J. G. 4661 [1]), exaratus, ut videtur, a. u. c. 913 = p. Chr. 160. Hic titulus, si in Add. ad C. J. G. [2]) recte tibi restititus videtur esse, Attidium vel inde ab illo anno provinciae Syriae praefuisse prioris tituli testimonio constat [3]).

Iam tertius exstat titulus, fragmentum fastorum [4]) collegii sacerdotum qui in templum Iovis Propugnatoris convenire solebant. Testes sunt hi fasti, anno u. c. 942 Idib. Octob. Imp. Commodo VI et Petronio Septimiano coss. in Palatio in aede Iovis Propugnatoris in locum P. Martii Veri cooptatum esse L. Attidium Cornelianum eundemque anno vertente u. c. 950 vita esse functum. Hunc Attidium Cornelianum Franzius [5]) alium, fortasse filium intellegendum esse opinatur eius quem modo commemoravimus. At eundem ac legatum Syriae eum esse Waddingtonius [6]) existimat adstipulaturque Marquardtius [7]). Hos igitur si sequimur, praenomen Attidii Corneliani fuit Lucius; quamquam res non est certa.

In numero eorum qui bello Armeniaco Parthico interfuerunt

---

1) Intellegenda est Gerasa nobilis illa urbs in Decapoli quae Syria nominatur sita (Ptolem. V 15, 23 = Vol. II p. 64 Nobbe). Neque confundas urbem cum alia eiusdem nominis in Arabia Petraea sita (Ptolem. V 17, 4 = Vol. II p. 69 Nobbe), quae quidem ab illa separatur per totam paene „primam Palaestinam“ quae nominatur. — Cfr. Kuhn l. c. p. 383. 378.

2) C. J. G. III p. 1184. — Vid. titulum infra Tit. n. 25.

3) Etiam Waddingtonius (ad 2562 d) Attidium Cornelianum leg. pr.-pr. Syriae fuisse vult in fine Antonini Pii initioque Marci.

4) Henzen 6057 = C. J. L. VI 2004 (vid. infra Tit. n. 27.)

5) In Addendis ad C. J. G. III p. 1183.

6) Explic. ad Lebas n. 2562 d et Compt. rend. de l'académie des inscr. et belles-lettres, Paris 1865, nouv. série, T. I, p. 120.

7) Staatsverw. I 265, annot 7.

Digitized by Google

teste Capitolino [1]) praecipue meriti sunt M. Statius Priscus, Avidius Cassius, P. Martius Verus. De his igitur nunc deinceps agamus.

2) De M. Statio Prisco.

Plenum honorum cursum M. Statii Prisci habes in titulo quodam Urbis Romae [2]). Unde accipis iam bello Hadriani Iudaico illum interfuisse. Consul fuit ordinarius a. p. Chr. 159 [3]). Paululo post, sed Pio etiamtum imperatore, Britanniae provinciae consulari praefuisse eum apparet; nam in titulo illo urbano appellatur „leg. Aug.[4]) pr. pr. prov. Britanniae", non „leg. Augg." Sed legati Augustorum officio administravit Cappadociam, quo bello Parthico imminente a M. Aurelio Antonino missus videtur esse. Atque Britannia cessisse eum Calpurnio Agricolae apparet ex loco quodam Capitolini [5]). De his rebus probabiliter locutum esse censeo Noëlium de Vergers [6]). Admonet de verbis quibusdam ex Dione Cassio depromptis nunc in exerptis Constantini Porphyrogenetae conspicuis, ex quibus Priscum ab exercitu in Britannia militante Imperatorem esse appellatum, sed ipsum recusasse di-

1) Vit. Veri c. 7, 1.

2) C. J. L. VI 1523 = Henzen 5480 = Gruter 493, 1. — Verba tituli vid. infr. Tit. n. 41.

3) Prisci consulatum commemorat titulus Orell. 3062, Auximi (in Piceno) repertus; collegam habebat Plautium Quintilium cos. II. — Proxime ante consulatum Priscum legatum fuisse Daciarum ex titulo Dacico C. J. L. III 1061 (= Orelli 2121, rep. Albae Juliae) efficitur, in quo ille „cos. design." appellatur. Alios titulos Dacicos, in quibus M. Statius Priscus leg. Aug. pr. pr. est conspicuus, habes C. J. L. III 940, 1299 (= Henzen 5481), 1416, Eph. epigr. IV (1879) p. 71 (n. 176). Cfr. etiam Diploma XL (C. J. L. III 2, p. 882 = Henzen III p. 376 s.) annotationesque Mommseni et Henzeni.

4) Haec est lectio Borghesii. — Henzenus restituit: „Aug(g)."

5) Capit. Marc. c. 8, 7: „imminebat etiam Brittanicum bellum" (scil. imminente bello Parthico) et § 8: „et adversus Brittanos quidem Calpurnius Agricola missus est". — Titulos ad Calpurnium Agricolam leg. Aug. pr. pr. prov. Britanniae spectantes habes: C. J. L. VII n. 225. 758; cfr. n. 773. 774.

6) Essai p. 28 sqq.

Digitized by Google

scimus [1]). Haec olim viri docti contulerunt cum verbis Lampridii, quae exhibet vit. Comm. c. 8 [2]). Concludebant igitur, Commodo imperatore Priscum a militibus in Britannia Imperatorem esse appellatum. Contra Borghesius [3]), tituli argumento nisus Prisci legationem prov. Britanniae refert circa a. p. Chr. 160. Neque inepte virum doctissimum coniecisse dicas, praesertim si de Capitolini narratione cogitaveris, initio imperii Marci Britannicum bellum institisse. Atque Noëlius, Borghesii sententia probata, haec adnotat [4]): „Une fois ce premier point arrêté, nous pouvons arriver à reconnaître de quelle nature étaient les troubles qui décidèrent l'envoi d'un nouveau légat en Angleterre". — Itaque eenset M. Statium Priscum et Britannico bello et Parthico imminentibus provinciam Cappadociam obtinuisse, ut Severiano devicto atque caeso [5]) subiret. Ex Cappadocia, qua iam Traiani temporibus Romani quasi praesidio et adminiculo usi erant in bello gerendo [6]), Statium Priscum censendum est bellum Armeniacum gessisse. Artaxata, caput Armeniae, ab eo capta esse Capitolinus testatur [7]). Acerrimum eum in bello hostibusque terrori fuisse, si vis efficere potes ex verbis quae Lucianus e scriptore quodam illius aetatis desumpta exhibet [8]).

---

1) Dio Cass. ed. L. Dindorf, Vol. V p. 208: *Ὅτι οἱ ἐν Βρεττανίᾳ στρατιῶται Πρίσκον ὑποστράτηγον εἵλοντο αὐτοκράτορα· ὁ δὲ παρῃτήσατο εἰπὼν ὅτι· τοιοῦτος ἐγώ εἰμι αὐτοκράτωρ οἷοι ὑμεῖς στρατιῶταί ἐστε.*

2) Lampr. vit. Comm. c. 8, 4: „appellatus est Commodus etiam Brittanicus ab adulatoribus, cum Brittani etiam imperatorem contra eum diligere voluerint".

3) Borgh. de Statio Prisco agit: Oeuvres III 249 s.; IV 168; V 375; IV 107.

4) Essai, p. 29.

5) vid. supra p. 15 s.

6) v. Marquardt, Staatsverw. I p. 212.

7) Capitol. vit. Marci c. 9, 1: „Gestae sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum Artaxatis captis" etc.

8) Lucian. quom. hist. § 20: *καὶ ὡς ἐμβοήσαντος μόνον Πρίσκου τοῦ στρατηγοῦ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι τῶν πολεμίων ἐξέθανον.*

Digitized by Google

3) De Avidio Cassio.

a) De vita Avidii Cassii a Vulcacio Gallicano descripta.

Sequitur Avidius Cassius. Huius vitam a Vulcacio Gallicano habes descriptam, neque aliud quid superest auctoris illius, quem unum ex sex scriptoribus historiae Augustae qui vocantur fuisse vulgo constat [1]). Atque haec Avidii Cassii vita a ceterorum imperatorum vitis quas accepimus quodam modo est diversa. Neque enim solum pristinos rerum auctores laudat, Marium Maximum, Aemilium Parthenianum, Quadratum [2]), sed mirum in modum epistulas affert Marci, Veri, Faustinae, Avidii Cassii, aliorum, paene dimidiam vitae partem occupantes, iisque argumentis ac testimoniis multarum rerum utitur.

Atque epistulas illas, saltem eas, quas de Cassiano motu Marcum et Faustinam scripsisse ac rescripsisse dicit Vulcacius, iam Tillemontius[3]) subditicias esse demonstravit. Qui post eum scripserunt viri docti[4]), partim defenderunt litteras illas quasi genuinas, partim respuerunt. Novissimus quod scio accuratius in rem inquisivit Czwalina [5]). Qui omnes epistulas quae vita illa continentur propter sermonem et propter errores multos suppositas esse ac posteriore aetate confictas ostendit. Sane si rem accu-

1) Quamquam propositum erat Vulcacio, ad maius atque copiosius opus se convertere, quod demonstrant verba quae exstant vit. Avid. Cass. c. 3, 3: „proposui enim, Diocletiane Auguste, omnes qui imperatorum nomen sive iusta ex causa sive iniusta habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Augustos cognosceres“.

2) De Mario Maximo Vulcacii auctore cfr. J. J. Mueller, l. c. III p. 47 sqq. — De Partheniano cfr. Czwalina l. c. pag. 19. — Quadratus laudatur etiam a Capitolino (vit. Veri c. 8, 4: „scriptor belli Parthici“.)

3) not. XIX ad M. Aurel. Vol. II, p. 561 s.

4) vid. Czwalinae „de epistolarum actorumque, quae a scriptoribus historiae Augustae proferuntur, fide atque auctoritate“ dissert. Bonn. 1870, annot. ad p. 26; Borgh. V 425 sqq.; p. 457 (cum nota Waddingtonii); Wadd. Expl. ad. Lebas III 2, n. 2212.

5) Czwalina in dissert. cuius modo adscripsi titulum (vid. imprimis p. 25. p. 42 sqq.; p. 35 s.

Digitized by Google

ratius exquisiveris, rationes a Czwalina allatas maximam partem veritati convenire concedes. Quare epistulas illas subditicias et commenticias esse pro certo habuerim.

b) De Avidio Heliodoro patre Avidii Cassii.

Sed ipsam vitam Avidii Cassii consideremus. Pater nominatur Avidius Severus, homo novus qui ordines duxerit ac post ad summos honores pervenerit [1]), a matre e gente Cassiorum esse natum. — Haec falsa et patris nomen fuisse aliud facile potest ostendi [2]). Dicit enim Dio [3]) Avidium Cassium filium esse Heliodori rhetoris cuiusdam, qui postea ad praefecturam Aegypti ascenderit; natum autem illum esse Cyrrhi, urbe Syriae septentrionalis [4]). Iam Heliodori saepius mentio est cum apud rerum scriptores tum in titulis. Spartianus enim in vita Hadriani bis Heliodorum quendam nominat [5]) atque una cum Epicteto et ipso philosopho in summa familiaritate ab Hadriano illum habitum esse. — Praeterea ex Dione Cassio discimus, Heliodorum apud Hadrianum ab epi-

---

1) vit. Avid. Cass. c. 1 init.: „qui ordines duxerat et post ad summas dignitates pervenerat“.

2) Ceterum viri docti pro „Avidio Severo“ l. c. legere iusserunt: „Avidio Syro“; commonefaciunt enim verborum Dionis Cass. 71, 22: *ὁ δὲ δὴ Κάσσιος Σύρος ἐκ τῆς Κύρρου ἦν.* — Vid. Friedlaenderi librum qui inscribitur „Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms“, I[4] p. 180.

3) Dio 71, 22, 2.

4) Cyrrhum bidui iter ab Antiochia abfuisse testatur Theodoret. hist. relig. Tom. III Vol. II p. 1135 (Schultz). — Cfr. Kuhn l. c. II p. 322, annot. 2836.

5) Spart. vit. Hadr. c. 15, 5 et c. 16, 10. — Non eundem putare Heliodorum rhetorem et Heliodorum philosophum (cuius mentionem faciat Spartianus l. c.) iubet Reimarus (ed. Dion. Cass., Hamburg 1752, Vol. II, annot. ad p. 1189, l. 54). Num igitur quae supra diximus restringenda videntur? Vix putaverim. Cur non idem rhetor atque philosophus esse potuit? Ceterum per errorem Reimarus l. c. laudat Capitol. vit. Marc. c. 26, 11; quo loco non patris Cassii, sed filii est mentio.

Digitized by Google

stulis fuisse[1]), quam curam in illustrissimis apud principem muneribus numeratam esse constat[2]).

Plura de Heliodoro comperimus ex titulis quorum unus in templo magnae Oasis Thebarum Aegyptiarum repertus[3]) Avidium Heliodorum ἔπαρχον i. e. praefectum Aegypti tertio Antonini Pii imperatoris anno, i. e. a. p. Chr. 140, fuisse demonstrat[4]). Ex alio titulo Aegyptio, Syenae reperto[5]), etiam praenomen Heliodori prodit; nominatur enim C. Avidius Heliodorus praefectus Aegypti eodem Antonino Pio imperante.

Haec omnia si computaveris, Avidii Cassii patrem fuisse cognoscis C. Avidium Heliodorum rhetorem vel philosophum, qui cum ab Hadriano cuius familiaritate utebatur curam ab epistulis obtinuisset, denique Aegypto praefectus est. Hanc praefecturam anno p. Chr. 140 administrasse illum titulorum testimonio constat. Quorum priorem quem commemoravimus[6]) accuratiore disputatione interpretatus Letronnius[7]) praefectum Aegypti non ultra annum p. Chr. 148 fuisse illum contendit, initium computans inde ab

---

1) Dio 69, 3.

2) cfr. Friedlaender l. c. I[4] p. 98 sqq.; Hirschfeld „Unterss. auf dem Gebiete d. röm. Verwaltungsgesch.“ I, 1877, p. 201 sqq.

3) C. J. G. III 4955. Tituli verba legas infra: Tit. n. 29.

4) Avidii Heliodori quod titulus exhibet nomine usus Hirschfeldius locum quendam Dionis Cassii emendavit. Exstant enim l. 69, c. 3, 5 haec verba in editionibus vulgaribus: ὅτε Διονύσιος πρὸς τὸν αὐτοῦ ἴδιον Ἡλιόδωρον, τὸν τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῦ διαγαγόντα, εἰπεῖν λέγεται κτέ· — Conicit Hirschfeldius: πρὸς τὸν Ἀουΐδιον Ἡλιόδωρον. — Atque hanc coniecturam perspicuam concinnamque esse suo iure contendit Friedlaenderus l. c. I[4] p. 180; nam profecto vix dixerit aliquis, quid sibi velint vocabula illa „αὐτοῦ ἴδιον“.

5) Archäol. Zeit. 1869, p. 123 sqq. = C. J. L. III 6025 (Verba tituli vid. infr. Tit. n. 30). — Quod Mommsenus suspicatur (Arch. Zeit. 1869, p. 124), Avidium Heliodorum aut patrem aut fratrem esse Cassii coercendum est. Non enim cogitari potest nisi de patre.

6) C. J. G. 4955.

7) Letronne, recherches pour servir à l'histoire de l'Egypte, Paris 1823, p, 246 sqq.

Digitized by Google

a. 136 vel 137. Cui sententiae se applicavit Franzius[1]. — Vulcacio Gallicano Quadrati historias laudanti si fidem habes, Heliodorum initio Marci imperatoris etiamtum vixisse auctoritateque valuisse, sed paulo post mortem obisse cognoscis[2].

c) Quid de iis sit iudicandum, quae de priore Avidii Cassii vita nobis traduntur.

§ 1. Vulcacius Gallicanus tradit Avidium Cassium iam Antonino Pio imperium extorquere habuisse in animo. Atque ipsam rem quidem patris auctoritate latuisse, verum a suspicione illum non esse liberatum[3]. Tempus definire studuit Letronnius[4], cogitat enim de annis inde ab a. Chr. 145 usque ad. a. 148. Verum cum nullo alio testimonio narratio Vulcacii nitatur quam

1) C. J. G. III p. 312, ubi temporis ordine servato praefecti Aegypti enumerati sunt.

2) vit. Avid. Cass. c. 1, §. 2. 3: „cum illum summum virum et necessarium rei publicae adserit et apud ipsum Marcum praevalidum. nam iam eo imperante perisse fatali sorte perhibetur". — Equidem hoc loco, quae de Heliodoro subtiliter disseruit Letronnius l. c., non repetam; pauca vero addam de Waddjngtonii ratione temporum ab illa Letronnii quodam modo diversa. Disputavit de Heliodoro in commentario cuius titulus est: „Mémoires sur la chronologie de la vie du rhéteur Aelius Aristide" (in: Mémoires de l'institut impérial de France, Académie des inscriptions et belles-lettres, Tome 26, Paris 1867, p. 203—268; addita est tabula chronologica.) Ubi (p. 217 s.) Heliodorum Hadriano ab epistulis fuisse suspicatur circa a. p. Chr. 120; (inter annos 120 et 122: Hirschf. l. c. pag. 257, ann. 4). Deinde cum ille ex magna gratia et favore in odium venisset (cfr. Spart. Hadr. c. 15, 5: „Heliodorum famosissimis litteris lacessivit"), gratia ab Antonino Pio imperatore recuperata initio huius principatus praefectum Aegypti factum esse (p. 243). Anno p. Chr. 153, relicta Aegypto, in Italia illum fuisse (p. 126 s.), unde litteras scripsisset de quibus loquitur Aelius Aristides rhetor, Or. sacr. IV p. 602 Canter = p. 524 Dind.: *ἡμέραις οὐ πολλαῖς ὕστερον ἐξ Ἰταλίας ἀφικνοῦνται ἐπιστολαί μοι παρὰ τῶν βασιλέων, τοῦ τε αὐτοκράτορος αὐτοῦ καὶ τοῦ παιδὸς . . . . . ἥκει δέ μοι καὶ παρὰ Ἡλιοδώρου τοῦ τῆς Αἰγύπτου ὑπάρχου γενομένου γράμματα ἅμα τοῖς βασιλικοῖς . . . .*

3) vit. Avid. Cass. c. 1, 5.

4) l. c.

Digitized by Google

epistulis illis Marci et Veri subditiciis [1]), prorsus reicienda videtur. Vix enim credas, Cassium, si tam gravi suspicione pressus esset, postea et apud Marcum et apud Verum tanta auctoritate praevaluisse.

§ 2. Neque maior fides tribuenda videtur narrationi Vulcacii de pugna a Cassio cum Sarmatis commissa [2]) et de pace centum annorum quam ab Antonino [3]) impetrasse illos dicit. Tillemontius [4]) quidem pacem illam conciliatam esse vult post a. 166, „Antoninum" igitur intellegit Marcum Aurelium. At quid dicis? nonne mirum, Dionem Cassium de bello Marcomannico et Sarmatico accuratius disserentem neque de Avidio Cassio neque de pace illa aliquid tradidisse [5])? Quae cum ita sint, de Antonino Pio forsitan cogites, cuius in vita a Capitolino descripta haec habes verba [6]); „et Mauros ad pacem postulandam coegit et Germanos et Dacos et multas gentes atque Iudaeos rebellantes contudit per praesides ac legatos:" in Germanos igitur et Dacos arma illata esse cognoscis, quibuscum fieri potuit ut Sarmatarum quoque populi coniuncti essent. — Haec opinio Borghesii [7]) et Waddingtonii [8]) videtur esse, quorum prior, ut sententiae fidem addat, in una ex provinciis minoribus ad Danubium sitis Cassium suspicatur tunc imperium quoddam habuisse. Sane et ipse de T. Antonino Pio cogitare

1) vit. Avid. Cass. c. 1, 7 sqq. — Cfr. p. 57 s.

2) ib. c. 4, 6 sqq.

3) ib. c. 4, 9: „ut pacem centum annorum ab Antonino absente peterent".

4) Tillemont (ed. Paris. 1720) Vol. II p. 357 s. haec exhibet: „On peut raporter à ce temps-ci ce que nous lisons d'Avidius Cassius, qui ayant si bien réussi contre les Parthes, pouvoit avoir esté chargé de faire la guerre aux Sarmates" etc.

5) Qnamquam idem de pacis condicionibus ab Jazygibus oblatis multa verba fecit (71, 13 sqq.)

6) Capitol. vit. Antonin. Pii c. 5, 4.

7) Oeuvres VI 93 sqq.

8) Compt. rend. de l'Académie des inscr. et belles-lettres, Paris 1865, p. 121.

Digitized by Google

malim quam de Marco; nam Vulcacius postea demum [1]) de rebus a Cassio in Armenia Marci temporibus gestis agit [2]). Sed quae ab hoc scriptore narrantur, tam mira sunt, ut prorsus conficta esse statuerim.

§ 3. Sed ad aliud transeamus. Quaeritur enim quo tempore Cassius consulatu functus sit. Fasces illum gessisse una cum Celso Planciano efficitur diplomate XLVII quod editum est C. J. L. vol. III, p. 889 [3]); neque vero integrum nobis traditum est, quo fit, ut certo anno tribuere nequeamus. Id solum patet ipsis diplomatis verbis, editum esse illud pridii Nonas Maias, atque Mommsenus quidem inter annos p. Chr. 161 et 169 emissum esse existimat. Ultra annum 169 terminum prorogare non licet, cum eo anno Avidium Cassium legatum pr. pr. prov. Syriae — quae quidem provincia virum consularem expetebat — fuisse titulis efficiatur [4]). Ipso anno 161 consulem illum fuisse opinatur Borghesius [5]) probantque Noëlius [6]) et Waddingtonius [7]). Neque ego negabo fieri potuisse ut Cassius, priusquam L. Verum in orientem comitaretur, consulatu fungeretur. Verumtamen hoc mihi magis probatur, bello Parthico iam confecto tamquam praemium fasces ei esse concessos. Illud enim de P. Martio Vero factum esse mox demonstrare mihi liceat.

---

1) vit. Avid. Cass. 6, 5.

2) Ne temere dicas, ipso „Antonini“ vocabulo quod exhibet Vulcacius (c. 4, 9) vetari nos de Marco cogitare, respicias quaeso c. 3, 5; 7, 5. 6. 7. 8; 8, 2. 7; 11, 1. 8, quibus locis „Antoninus“ sine dubio intellegendus est Marcus.

3) in fine diplomatis haec habes: „Celso Planciano (Av)idio Cassio cos.

4) In memoriam revoces quae supra p. 37 exposuimus; cfr. infra Tit. n. 34—39.

5) Borgh. Oeuvres VI 93 sqq.

6) Essai p. 34.

7) Compt. rend. l. c.

Digitized by Google

d) Bello Parthico quo munere Avidius Cassius functus sit quasque res gesserit.

Nunc agitur de opinione refellenda quam Borghesius de Syria provincia a Cassio administrata protulit[1]). Contendit enim vir doctissimus, imminente bello Parthico illum consulatu functum Syriae esse praefectum. Non recte, opinor. Namque belli Parthici tempore Syriam ab aliis esse administratam demonstrari potest. Atque anno p. Chr. 162 Attidium Cornelianum Syriam obtinuisse patet titulo quem supra commemoravimus[2]). Huic successisse videtur M. Annius Libo, imperatoris Marci patruelis, quem cum L. Vero rixatum veneno esse interceptum refert Capitolinus[3]). Annis autem 164 et 165 legatum pr. pr. prov. Syriae[4]) fuisse Julium Verum enucleare potes adhibito titulo quodam Abilae Lysanii, oppido Syriae[5]), reperto[6]), in quo uterque princeps Armeniaci nomine ornatur, Parthici autem caret[7]). Ergo legatum Syriae, dum Parthicum bellum gerebatur, non fuisse

---

1) l. c.

2) Waddington 2562d. — Cfr. pag. 19 et 53 s.; Tit. n. 26.

3) Capitol. vit. Veri c. 9, 2: „verum illud praecipuum quod, cum Libonem quendam patruelem suum Marcus legatum in Syriam misisset, atque ille se insolentius quam verecundus senator efferret dicens, ad fratrem suum se scripturum esse, si qui forte dubitaret, nec Verus praesens pati posset, subitoque morbo notis prope veneni exsistentibus interisset, visum est nonnullis, non tamen Marco, quod eius fraude putaretur occisus“.

4) de legatis pr. pr. prov. Syriae inde a Traiano usque ad Septimium Severum cfr. quae exposuit accuratissime Waddingtonius, Compt. rend., Paris 1865, p. 115 sqq. (cfr. Marquardt I 265).

5) Ptolem. V 15, 22 (II p. 63 Nobbe): *Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου.*

6) Wadd. 1874 et 1875 = Orelli 4997 et 4998 = C. J. L. III 199—201. Vide Tit. n. 33.

7) De tempore quo singula nomina a fratribus imperatoribus accepta sint vid. quae infra singulari appendice exposituri sumus (App. V).

Digitized by Google

Avidium Cassium convicimus [1]). — Iam quo munere tibi functus esse videtur Cassius illo tempore? In promptu est conicere, Cassium comitis Augusti munere functum a L. Vero maioribus copiis praefectum esse. Comites enim Augusti qui nominantur principem in itineribus solebant prosequi. Atque cum mos esset, ut singuli designarentur ad singula itinera atque ut singulari principis mandato iuberentur quid agerent, plerumque iuri dicundo vel aliis rationibus administrandis operam navabant. Sed militares quoque res eos egisse testes sunt, ut Marci aetatem respiciamus, tituli Henzeniani 5478, 5479, Orellianus 3186, in quibus obvii sunt Claudius Fronto, Vitrasiius Pollio, Pontius Laelianus [2]). — Quare etiam Avidium Cassium illa aetate comitem Augusti fuisse nostro iure asseveramus. Neque neglegas locum quendam Luciani [3]), ex quo sequitur Cassium in bello tertiam legionem duxisse. Atque hanc legionem praecipue ei deditam fuisse tituli aliquot in Syria reperti docent, quamquam ad posteriorem Cassii aetatem pertinent [4]).

---

1) Praeter alias haec quoque est causa, cur Marci epistolam „ad praefectum suum" missam (vit. Avid. Cass. c. 5, 4 sqq.) falsam esse iudicemus; nam verba quae exstant: „Avidio Cassio legiones Syriacas dedi diffluentes luxuria et Dafnitis moribus agentes", non possunt intellegi, opinor, nisi de legatione Cassii cogitas.

2) Titulos Henzen. 5478 (= C. 7. L. VI 1377), 5479 (= C. J. L. III 1457), Orell. 3186 (= C. J. L. VI 1497) vid. infr. Tit. n. 44. 45. 43.— De comitum Augusti officiis cfr. quae disputavit Mommsenus Hermae vol. VI p. 120 sqq. — Comitem L. Veri fuisse Cassium etiam Czwalina existimat (l. c. p. 41).

3) Luc. quom. hist. § 31: ... *καὶ τὸ τρίτον τάγμα καὶ οἱ Κελτοὶ καὶ Μαύρων μοῖρα ὀλίγη σὺν Κασσίῳ πάντες οὗτοι ἐπεραιώθησαν τὸν Ἰνδὸν ποταμόν.* — Vix addendum opinor, quae Lucianus scripsit, non facta esse re vera, sed conficta tantum a scriptore aliquo belli Parthici a Luciano reprehenso.

4) cfr. Waddington n. 2438. 2525. 2528. — Conicit Wadd. (ad n. 2525), leg. III Gallicam cum Cassio postea contra Marcum rebellasse. Quamobrem nomen legionis in tit. 2438 erasum est. Idem valet in alios aliquot titulos ad legionem illam pertinentes: Wadd. n. 1845, 2445, 2413 f., C. J. G. 4548. Contra retinuit nomen in titulis:

Digitized by Google

In hac re perseveramus, Avidium Cassium in bello Parthico primarium quendam locum obtinuisse, et quod res prospere gestae sunt illi imprimis deberi. Cepit enim Seleuciam [1]), victoriasque ab eo reportatas indicant „litterae laureatae“ quas Junium Maximum tribunum Romam misisse testatur Fronto in epistula ad ipsum Avidium Cassium data [2]). In qua epistula virtutes eius militares, ut ipsa verba afferam, hoc modo laudantur: „ita de laboribus et consiliis tuis et industria et vigilantia praedicator ubique frequentissimus exstitit“ [3]) . . . . . „nunquam cessavit in vesperum usque fabulas nectere itinerum tuorum et disciplinae ad priscum morem institutae ac retentae; tum in agmine ducendo et manu conserenda strenuissimi vigoris tui et consultissimae opportunitatis . . . . .“. Haec affirmantur laudibus quas Cassio Gallicanus tribuit [4]).

De rebus a Cassio post bellum Parthicum gestis et de motu quem concitavit supra egimus. Hoc loco id solum addamus, Suidam de ponte quodam a Romanis duce Cassio flumini iniecto verba facere [5]).

4) De P. Martio Vero.

Pergamus ad tertium quem in ducum numero Capitolinus numerat, quibus L. Verus bellum gerendum commiserit [6]), P.

Wadd. 2528, 2486, 2530 (= C. J. G. 4542), 2536a (= Wetzstein, Abhandl. d. Berl. Acad. 1863, p. 255 sqq., n. 165). — Alia seditio, cuius particeps erat legio III. Gall., ad Heliogabali imperatoris aetatem spectat (Dio 79, 7).

1) vid. supra p. 29.

2) ad amicos I 6. (p. 178 Naber).

3) sc. Junius ille Maximus.

4) vit. Avid. Cass. c. 3 sqq. Praecipue observanda sunt verba quae exstant c. 3 § 8: „fuit praeterea disciplinae militaris tenax et qui se Marium dici vellet“.

5) Suid. s. v. ζεῦγμα (I 2, p. 711 Bernhardy; p. 459 Bekker). Hausit fortasse ex Dione Cassio, qua de causa editores in fragmentorum integrae Dionis historiae numero posuerunt illa: v. edit. Reimar. Hamburg. 1752, Vol. II, p. 1261 (Fragmenta Dionis ex Suida) et Dindorf. Vol. IV. p. 171.

6) Capit. vit. Veri c. 7, 1.

Digitized by Google

Martium Verum. — Hunc consulem fuisse cum M. Vibio Liberale titulus quidam Perusinus docet [1]), qui incipit: „M. Vibio Liberale P. Martio Vero cos. X. K. Apriles“ e. q. s. — Atque Orellius quidem cogitat de consulibus a. p. Chr. 179. Verum tunc Martium iterum consulatu esse functum sequitur ex titulo Orelliano 881, ubi verba sunt: „sacrum Imp. Com. II P. Martio Vero II cos.“ [2]) Quapropter Henzenus [3]), ad Borghesii [4]) testimonium provocans, illos viros primum fasces gessisse vult a. 162, adstipulaturque Marquardtius [5]). Sed viri doctissimi errasse mihi videntur. In diplomate enim nuper reperto [6]), quod, cum ad alias quoque res lucem exoptatam afferat, saepius in opusculo nostro laudatur, par consulum exsistit, quorum alterius nomen traditur integrum, alterius praenomen tantum cognosci potest, lapide miserandum in modum diffracto. Legitur enim versu 25 [7]): „M. Vibio Liberale P.....“ Iam titulo illo Perusino usus Ohlenschlagerius [8]) integrum nomen restituit, ita ut legat: „P. Martio Vero“; neque hanc restitutionem tituli impugnare audeas. Atque cum ceteris indiciis observatis diploma illud a. p. Chr. 166 editum esse constet [9]) illaque aetate nundinia consularia bimestria fuisse [10]), P. Martium Verum mensibus Martio et Aprili a. 166 primum consulem fuisse demonstravimus.

Bello Parthico illum cum virtute, consilio, prudentia, tum maxime arte cum hostibus conloquendi praestitisse testatur

---

1) Orelli 4038.

2) Eorundem virorum consulatum indicat titulus C. I. L. VI. 1979.

3) in annotat. ad Orell. 4038 (Vol. III p, 439).

4) Oeuvres V 258.

5) Röm. Staatsverw. I p. 214.

6) Eph. epigr. Vol. II (1875), p. 460 sqq. — Vid. infr. Tit. n. 22.

7) p. 461, vers. 25.

8) p. 462, annot. 7.

9) vid. quae supra exposuimus p. 33 s.

10) cfr. Mommsen Röm. Staatsrecht II², p. 81 s.

Digitized by Google

Suidas[1]) idemque narrat, Thucydidem quendam ab illo missum esse, ut Soaemum in Armeniam reduceret; iussumque esse Martium a. L. Vero una cum Avidio Cassio commentarios componere, qui ad Frontonem historiam belli conscripturum mitterentur, tradit ipse Fronto[2]). Atque finito bello P. Martius Verus consulatu functus[3]) provinciam Cappodociam accepisse videtur. Sane successisse eum Statio Prisco ex Suidae quae contulimus verbis intellegimus, neque contendas, iam ante pacem cum Parthis conciliatam legatum Cappadociae eum fuisse, (illud enim sententiarum apud Suidam conexus tibi forsitan indicare possit); compertum enim habemus, Cappadociam illa aetate non administratam esse nisi a viris consularibus[4]). — *Καππαδοκίας ἄρχων* appellatur Martius a Dione Cassio[5]) atque iam Avidii Cassii rebellionis tempore illo munere functum eum esse ex eo elucet,

---

1) Suid s. v. *Μάρτιος* (II 1, p. 715 Bernhardy; p. 690 Bekker): *Ὅτι Μάρτιος Βῆρος τὸν Θουκυδίδην ἐκπέμπει, καταγαγεῖν Σύαιμον εἰς Ἀρμενίαν· ὃς δέει τῶν ὅπλων καὶ τῇ οἰκείᾳ περὶ πάντα τὰ προσπίπτοντα εὐβουλίᾳ τοῦ πρόσω εἴχετο ἐρρωμένως· ἢν δὲ ἱκανὸς ὁ Μάρτιος οὐ μόνον ὅπλοις βιάσασθαι τοὺς ἀντιπολέμους, ἢ ὀξύτητι προλαβεῖν, ἢ ἀπάτῃ κατασοφίσασθαι, ἥπερ ἐστὶ στρατηγῶν ἀλκή· ἀλλὰ καὶ λόγῳ πιθανῷ πεῖσαι καὶ δωρεαῖς μεγαλόφροσιν οἰκειώσασθαι καὶ ἐλπίδι ἀγαθῇ δελεάσαι· χάρις τε ἦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς πρασσομένοις ὑπ' αὐτοῦ καὶ λεγομένοις, τὸ μὲν ἀγανακτοῦν ἑκάστου καὶ τὸ θυμούμενον παραμυθουμένη, τὸ δὲ ἐλπίζον ἔτι μᾶλλον αὔξουσα· κολακείας τε δώρων καὶ τῆς παρὰ τραπέζαις δεξιώσεως καιρὸν ᾔδει· οἷς προσὸν τὸ πρὸς τὰς πράξεις σύντονον καὶ τὸ πρὸς τοὺς ἐχθροὺς σὺν ὀξύτητι δραστήριον αἱρετώτερον ἐδείκνυε τοῖς βαρβάροις εἶναι, τῆς φιλίας αὐτοῦ μᾶλλον ἢ τῆς ἐχθρας ἀντιποιεῖσθαι· ἀφικόμενος οὖν εἰς τὴν καινὴν πόλιν, ἣν φρουρὰ Ῥωμαίων κατεῖχεν ἐκ Πρίσκου καταστᾶσα, νεωτερίζειν πειρωμένους λόγῳ τε καὶ ἔργῳ σωφρονίσας, ἀπέφηνε πρώτην εἶναι τῆς Ἀρμενίας.*

2) ad Verum II 3 (pag. 131 Nab.).

3) secundum diploma quod modo commemoravimus.

4) vid. quae de Cappadocia provincia consulari exposuit Marquardt, Röm. Staatsv. I p. 209. — Tamen non est, cur antea sicut Avidium Cassium in Armenia bellum gessisse Martium Verum deneges.

5) Dio 71, 23.

Digitized by Google

quod Dio tradit[1]) Martium Verum illius motus ipsum Marcum imperatorem certiorem fecisse.

Post caedem Cassii Syriae praestitisse Martium cum ex Dione[2]) patet tum affirmatur testimonio tituli cuiusdam Philippopoli, urbe Syriae reperti[3]), quem inter annos 177 et 179 exaratum esse recte statuit Waddingtonius[4]); nam obvius est Commodus Marci filius nomine Σεβάστου; Augustum autem appellatum eum esse inde ab a. 177 Eckhelius demonstravit[5]), Martiumque a. 179 iterum consulem fuisse titulo Orelliano 881 de quo supra[6]) diximus efficitur.

Denique invenies P. Martium Verum in fastis illis sacerdotum Jovis Propugnatoris, quorum iam antea mentio fuit[7]). Ex his colligi potest, cooptatum illum esse „Praesente II et Condiano coss." i. e. a. p. Chr. 179, atque cessisse locum Idib. Oct. a. 189 L. Attidio Corneliano.

Praeter hos quos diximus, Statium Priscum, Avidium Cas-

---

1) Dio 71, 23.

2) ibid. 71, 29.

3) Wadd. 2071 = C. J. G. 4601 (Vid. infr. Tit. n. 42).

4) annot. ad titulum Wadd. 2071.

5) D. n. VII p. 137. — Legas quae tradit Lamprid. vit. Comm. 2, 4: „cum patre imperator est appellatus V Kal. Dec. die Pollione et Apro consulibus" (a. 176) et ibid. 12, 4: „cum patre appellatus imperator V Kl. Exsuperatorias Pollione et Apro iterum conss." — Itaque Commodus „imperator" appellatus videtur esse iam exeunte a. 176. — Hausisse autem videtur Lampridius ex actis publicis ipsa Commodi aetate exaratis: cfr. Zuercher „Commodus" (in Bueding. „Unterss. z. röm. Kaisergesch." I, 1868) p. 224. — Sed ostendit Eckhelius l. c., revera Commodum Augusti et Imperatoris nominibus in numis non ante a. p. Chr. 177 ornatum esse, paulo autem prius imperatorem nominatum quam Augustum. — Cfr. de hac re etiam Tillemont, not. 20 ad M. Aurel., ubi ostendere studet, „que Commode a esté fait Imperator en 176 et Auguste en 177" (Vol. II p. 562). — De Augusti titulo agit Mommsenus, Staatsr. II² p. 748 sqq. 827. 1106, 4. 1109 s.

6) p. 66.

7) Henzen 6057; vid. Tit n. 27; cfr. pag. 54.

Digitized by Google

sium, Martium Verum, bello Parthico alios quosdam viros praeclarissimos interfuisse accipimus, de quibus nunc est agendum.

5) De M. Pontio Laeliano.

Cursum honorum viri habes in titulo Romae reperto [1]), ex quo sequitur, comitem Veri eum fuisse donisque militaribus propter bellum Armeniacum et Parthicum esse donatum. Laudatur a Frontone quod in Syria apud milites disciplinam restituerit [2]). Quo tempore consul fuerit, certo adhuc dicere non possumus. Borghesius quidem de Laeliano consule ordinario a. 163 cogitat, sed repugnat Renierius [3]) fascesque gessisse eum vult iam imperante T. Antonino Pio. Legatio provinciae Syriae,, quam testimonio tituli Orelliani 3186 obtinuit, extremis temporibus M. Aurelii Antonini attribuenda videtur esse, ita ut P. Martio Vero subisse eum statuamus [4]).

6) De M. Claudio Frontone.

Cursus honorum viri obvius est in titulo quodam Romano in foro Vlpio eruto [5]). Discimus bello Parthico illum legioni I

---

1) C. J. L. VI 1497 = Orelli 3186 = Gruter 457, 2 — vid. infr. Tit. n. 43.

2) ad Verum II 1 (pag. 128 Naber): „Ad hoc vestiti melius quam armati: adeo ut vir gravis et veteris disciplinae Laelianus Pontius loricas partim eorum digitis primoribus scinderet“ etc.

3) Renier, Compt. rend., Paris 1864 (Tome VIII) p. 255, agit de titulo (rep. Troësmi): C. J. L. III 774 (Iglitzae in Moes. infer.) = ibid. 6182 (pag. 1004): „M. Pontio (L)aeliano (c.) v. patri Pont. Laeliani (l)eg. Aug. pr. pr. ordo Troesm.“ — Ad quem titulum Mommsenus observat: „M. Pont. Laelianus Sabinus (cfr. tit. C. J. L. VI 1497) dux in bello Parthico idem visus est Renierio atque legatus huius tituli“. — Denique legitur Orell. 4719 (Lutetiae): „. . . . . .Q Mustio Prisco M. Pontio Laeliano cos“. — Quo anno consul noster exstiterit, hoc loco expedire mihi non propositum est.

4) Cfr. Waddington, Compt. rend., 1865, p. 122.

5) C. J. L. VI 1377 = C. J. L. III p. 236 (ad n. 1457) = Henzen 5478. — Verba tituli vid. infra n. 44. — Titulus summi momenti est, cum — quod aliunde adhuc expediri non potuit — legionem I

Digitized by Google

Minerviaė, tum maiori exercitui ex copiis legionariis et auxiliariis composito praefuisse eumque in Armeniam et Osrhoenam et Anthemusiam duxisse donisque militaribus donatum atque a L. Vero in comitum numero esse habitum [1]). Etiam bello contra Marcomannos et Sarmatas gesto teste titulo acerrimum se praebuit, ac postremo, „quod post aliquot secunda proelia adversum Germanos et Jazyges pro republica fortiter pugnans ceciderit“ [2]), statua armata ab imperatore Marco dedicata honoratus est. — Aliud de Frontone testimonium, quantum scio, non suppetit, sed eundem habere eum atque illum de quo loquitur Lucianus [3]) vix dubitabis.

7) De P. Julio Geminio Marciano.

P. Julium Geminium Marcianum in bellum a L. Vero contra Parthos gerendum esse missum primus ostendit Renierius [4]). Tractavit viri honorum cursum usus tribus titulis Cirtensibus atque uno Aphrodisiensi uberiore disputatione, qua quasi specimen quae-

---

Minerviam bello Parthico affuisse docet; distinctis enim verbis legio illa notatur „in expeditionem Parthicam deducenda“. — In alio titulo (C. J. L. III 1457 = Henzen 5479; vid. Tit. n. 45), ubi brevius honorum cursus exponitur, Fronto nudis verbis vocatur „leg. leg. I Min.“; sed donatum eum esse donis militaribus bello Armeniaco et Parthico comitemque Veri fuisse ex hoc quoque titulo cognoscimus.

1) Temporis ordo si servatus est in titulo, Frontonem probabile est comitem L. Veri fuisse demum bello Marcomannico.

2) Mommsenus ad titulum haec adnotat (C. J. L. III p. 236): „Cecidisse eum in pugna, dum praesidet Daciae Moesiaeque, per bellum Marcomanicum M. Aurelii post annum 171 Borghesius (Ann. 1855, p. 32; cfr. Oeuvres VI 264 sqq.) inde collegit, quod eo anno incipiente filius eius receptus est inter Salios Palatinos Marini Arv. p. 165), id quod fieri non potuit nisi parente utroque etiamtum superstite. — Fastos Saliorum Palatinorum nunc habes C. J. L. VI 1978. Ubi reperies M. Claudium Frontonem Neocydem. — De consulatu Frontonis cfr. Borgh. VI 267 (cum ann. Renierii); Marqu. I. p. 154.

3) Quom. hist. § 21. — Ipsa Luciani verba habes App. III 1.

4) Mélanges d'épigraphie, Paris 1854, p. 97 sqq., imprimis p. 119 sqq.

Digitized by Google

stionis diligentis atque accuratae exhibuisse illum viri docti consentiunt omnes [1]). Tituli hi sunt: Cirtenses C. J. G. 5366 (duo) [2]), C. J. G. 5366 b [3]), Aphrodisiensis C. J. G. 2742 [4]). Ex quo numero ad nostram dissertationem unus tantum ex Cirtensibus [5]) quadrat, in quo Geminius ille appellatur „leg. Augg. super vexillationes in Cappadocia". Demonstrat Renierius [6]), ex omnibus quaecunque gesta sint bellis duo solum in rationem venire, quorum aut uno aut altero Geminius imperium illud obtinuerit: aut bellum Parthicum a Septimio Severo et a Caracalla annis 197 et 198 commissum aut bellum Parthicum L. Veri. Profert causas, quibus ad posteriorem sententiam revocemur: sub imperatore Marco Parthorum incursionem factam esse repentinam, atque ut prima clades expiari posset, omnibus ex partibus imperii Romani viros virtute ac prudentia imprimis probatos in orientem esse missos; contra bellum anni 197 a Septimio Severo Parthis illatum esse ipso non lacessito, sed cum parasset quae opus fuissent, neque tunc Cappadociam obnoxiam fuisse periculo. Quae cum ita sint, non cogitandum esse nisi de bello L. Veri. — His addit vir diligentissimus, qua est sagacitate, bello imminente Marcianum legioni X Geminae, ut testetur titulus ille, praefectum esse, quam legionem Vindobonae in castris fuisse ex Ptolemaeo appareat [7]). Atque vexillationes, quas in Cappadociam ille duxisset, ex copiis desumptas esse existimat, quae ad Danubium et ad Rhenum

1) Cfr. Mommsen ad C. J. L. III 96.

2) = Renier, Inscr. de l'Algérie 1820 et 1818 = Mélanges p. 103 et p. 112 (posterior etiam in annot. ad C. J. L. III 96).

3) = Renier, Inscr. de l'Alg. 1819 = Mélanges p. 99.

4) = Renier, Mélanges p. 126 = Waddington, Fastes des provinces Asiatiques sub n. 158.

5) C. J. G. 5366 (posterior) = Renier 1818 = Mélanges p. 112 = C. J. L. III 96 (in annot.). — Ipsa verba tituli a Renierio restituti habes infr. n. 46.

6) Mélanges p. 121 sqq.

7) Ptolem. II 15, 3 (I p. 128 Nobbe); cfr. Pauly, Real-Encyclop. VI 2, p. 2622.

Digitized by Google

finium defendendorum causa tunc castra habuissent. Neque inepte conicit, copiis in illis regionibus tunc imminutis Chattos se movere coepisse itaque bellum Marcomannicum esse maturatum.

Pace cum Parthis conciliata Geminius leg. Augg. pro pr. provinciae Arabiae fuit. Quod munus cum a. 169 reliquisset, Renierius vult consulem eum esse designatum. Atque recte illum iudicasse demonstratur titulo Bostrae eruto quem ille cognitum nondum habebat [1]). Intellegi enim potest ex hoc titulo, Marcianum, quoniam leg. „Aug." non „Augg." vocatur, legatum Arabiae fuisse etiam post L. Verum mortuum, h. e. initio a. 169, et consulem designatum in a. 170.

Atque Marcianum postea proconsulem Macedoniae fuisse, denique provinciam Asiam obtinuisse sequitur ex titulis Renierii 1818 et C. I. G. 2742, coniecitque Waddingtonius [2]) Asiam ab illo administratam esse a. p. Chr. 186.

8) De Helvio Pertinace.

Parthico bello interfuit etiam Helvius Pertinax, is qui Commodo occiso imperator est factus. Colligimus ex Capitolini vita Pertinacis, ubi [3]) verba haec sunt: „Bello Parthico industria sua promeritus in Britanniam translatus est ac retentus". — Neque

1) C. J. L. III 96 = Wadd. 1945. Legas titulum infr. n. 47.

2) Fastes des provinces Asiatiques, sub. n. 158. — Silentio non praetermiserim, tituli Aphrodisiensis lectionem diversam esse apud Franzium (C. J. G. III 2742), Renierium (Mél. p. 126), Waddingtonium (Fastes s. n. 158). Quamquam haec discrepantia nihil refert ad nostram quaestionem. — Ceterum de Geminio Marciano praeter Renieri disputationem cfr. Mommseni annotationem ad C. J. L. III n. 96; Wadd. ad n. 1945 et quae disseruit in „Fast. d. p. Asiat." l. c. Atque loco quidem quem postremum contuli cursus honorum Marciani secundum Renieri sententiam compositus auctusque est, habesque etiam collectionem omnium titulorum adhuc de Marciano notorum, quinque numero.

3) Capit. vit. Pertin. c. 2, § 1.

Digitized by Google

abfuisse eum ab opprimendo motu Cassiano idem testis est Capitolinus [1]). Initio imperii Commodi Syriam provinciam obtinuit [2]), quo munere inter annos 180 et 182 functum eum esse ostendit Waddingtonius [3]).

Appendix III.

P. Furius Saturninus, Flavius Titianus, Caesernius Quinctius Quinctianus utrum bello Parthico interfuerint necne.

1) De P. Furio Saturnino.

Lucianus in libello cuius saepius mentionem fecimus, explicante illo quidem, „quomodo historia sit conscribenda", nominat Saturninum et Titianum quosdam [4]), ita ut concludas interfuisse eos bello Parthico. Iam videamus, nonne aliunde de illis certiores fiamus.

Atque in titulis nonnullis Dacicis [5]) reperies P. Furium Saturninum leg. Aug. pr. pr. Quem cum viri docti [6]) statuerint a. p. Chr. 161 consulem fuisse suffectum, sane licet cogitare de Saturnino illo a Luciano commemorato. Atque cum in uno ex illis titulis appelletur „cos. des.", statuendum est, prov.

---

1) ibid. § 10.

2) ibid. § 11.

3) Compt. rend.de l'acad. d. inscr. et b.-lettres, 1865, p. 122.

4) § 21 haec legis: *ἠξίωσεν οὗτος καὶ τὰ ὀνόματα μεταποιῆσαι τὰ Ῥωμαίων καὶ μεταγράψαι ἐς τὸ Ἑλληνικόν, ὡς Κρόνιον μὲν Σατουρνῖνον λέγειν, Φρόντινον δὲ τὸν Φρόντωνα, Τιτάνιον δὲ τὸν Τιτιανὸν καὶ ἄλλα πολλῷ γελοιότερα.*

5) C. J. L. III 1171; III 1412; III 1460 = Gruter 414, 5; III 1177 = Orelli 3667 = Gruter 414, 6; III 943 = Orelli 3668 = Gruter 414, 7. — Omnes hos titulos habes infra n. 48—52.

6) Borghesi Oeuvres VI 95. VIII 474; Marquardt I 154; Noël des Vergers, l. c., p. 35; Mommsen ad C. J. L. III 1171; Orelli ad n. 3667. 3668. — Provincia decessisse Saturninum, cum iam fratres Marcus et Verus imperium obtinuissent, colligitur, ni fallor, ex titulo C. J. L. III 1412, ubi legitur, „concordia Imp." (Torma legit: co[nc]ordia imp[eratorum]). — Ceterum in hoc titulo Saturninus appellatur solum „P. F. S."

Digitized by Google

Dacia administrata Romam eum esse profectum, ut consulatum iniret. Quae cum ita sint, titulus C. I. L. III 1412 medio anno 160 exaratus videtur esse. Gratiam enim referunt legato provinciales, dum provincia ille decessurus est. In summa gratia autem et auctoritate fuisse illum, dum provinciam administrabat, colligere licet etiam ex titulo Orell. 3367 = C. I. L. III 1177, ubi celebratur ille „praeses dignissimus". At quid dices de reliquis titulis[1]) et ipsis Dacicis, ubi Saturninus „cos" appellatur? Henzenus quidem[2]) postquam vetuit te interpretari „consularem" — sic enim postea demum legatos Daciarum appellatos esse[3]) — Saturninum vult absentem fasces gessisse, cum legatus Daciae esset. Sed hoc est singulare minimeque mihi probatur. Nonne multo veri similius, a provincialibus illum hominem gratissimum etiam tunc titulis celebratum esse, cum iam provincia relicta consulatum inisset? — Itaque si concesseris, Saturninum in titulis conspicuum et illum a Luciano commemoratum eundem esse, ita res diiudicanda videtur, ut Dacia relicta consulatu Romae functum in orientem eum missum esse statuas[4]).

2) De Flavio Titiano.

Titianum vero a Luciano nominatum eundem esse existimo ac praefectum Aegypti de quo agit titulus quidam Graecus[5]) anno VI Marci imperatoris, h. e. a. p. Chr. 166, exaratus. — Iam exstant tituli nonnulli latina lingua expressi[6]) ad Flavios quosdam Titianos pertinentes, quos cave ne confundas. Tres enim viri illius nominis fuerunt, quos constat diversis temporibus

1) C. J. L. III 943. 1177. 1460.

2) annot. ad Orell. 3666 (Vol. III p. 386).

3) Inde a M. Aurelio Antonino Daciam fuisse provinciam consularem ostendit Borgh. Oeuvr. VIII p. 480 sqq.; cfr. Marquardt, I, p. 154. — Vid. Capitol. vit. Marci cap. 22.

4) cfr. Noël de Vergers, l. c. p. 35.

5) C. J. G. 4701 (Vid. infr. Tit. n. 54).

6) C. J. L. II 4118 = Grut. 413, 1 = Grut. 474, 5 (vid. titulum infra n. 55); C. J. II 4076; III 5164; 5172; Muratori II pag. CMXVII, 9 (vid. titulos infra n. 56—58.)

Digitized by Google

praefectos Aegypti fuisse, imperatoribus quidem Hadriano [1]), M. Aurelio Antonino [2]), Caracalla [3]). Ad postremi quem nominavimus imperatoris aetatem spectare videntur duo tituli Hispani [4]). Hic qui commemoratur Flavius Titianus antea fuit leg. pr. pr. prov. Hispaniae Tarraconensis et proconsul prov. Africae [5]). Sine dubio alius est procurator Belgicae et Aquitaniae [6]) et procurator Norici [7]); nam dignitates procuratoris et proconsulis inter se plane diversae erant [8]). — Sed quod ad nostram quaestionem pertinet, non est, opinor, cur praefectum Aegypti in titulo Graeco conspicuum eundem esse atque Titianum illum cuius mentionem facit Lucianus belloque Parthico eum interfuisse denegemus [9]).

3) De T. Caesernio Statio Quinctio Macedone Quinctiano.

Dubitari autem potest de sententia quam Renierius [10]) protulit de T. Caesernio Statio Quinctio Macedone Quinctiano, cuius nomina integra habes in titulo quodam Albani eruto [11]), decurtata autem in titulo Aquileiensi [12]), denique restituta in tertio titulo quem „inter Aquileienses rettulit“ Mommsenus [13]). Atque nomina

---

1) a. p. Chr. 126 ex titulo latino Memnonis colosso inscripto (Letronne, la stat. voc. de Memnon, p. 134 = C. J. L. III 41; vid. titulum n. 53; Franz C. J. G. III p. 312).

2) secundum tit. C. J. G. 4701.

3) cfr. Dio Cass. 77,21 (anno p. Chr. 215 vel 216).

4) C. J. L. II 4118 et 4076; cfr. Huebner. in annot. ad 4118.

5) secundum tit. C. J. L. II 4118.

6) Muratori l. c.

7) C. J. L. III 5164. 5172.

8) cfr. Franz l. c.; Hirschfeld, Röm. Verwaltungsgesch. I. 241.

9) cfr. Tillemont, hist. de semp., M.-Aurèle, article VI, (Tom. II p. 349.)

10) Mélanges d'épigraphie p. 79.

11) Orelli 3781.

12) C. J. L. V 866 = Orelli 3780

13) C. J. L. V 865

} Horum titulorum ipsa verba vid. infra n. 60—62.

Digitized by Google

quidem eadem restituerunt et Mommsenus [1]) et Renierius [2]); de ceteris quae in lapide legenda sint dubitant, praecipue de iis vocabulis quae versu VII extr. supplenda sint. Nam Borghesius et Renierius legi volunt „co(miti divi Veri)", quod respuit Mommsenus, legit autum „co(miti imp.)". Atque defendunt illi quidem coniecturam quam protulerunt comparato titulo Divionensi [3]), in quo commemoratur Caesernius quidam Statianus quem constat consularem Germaniae superioris fuisse anno 150. Hunc contendunt patrem fuisse Caesernii illius ad quem priores tituli spectant. Filium autem Borghesius [4]) existimat a patre nomina traxisse T. Caesernii Statii Macedonis, a matre Quinctii Quinctiani. Qua opinione reprobata Mommsenus haec adnotat [5]): „quod ille coniecit . . . . . nec per se satis certum visum est et refutatum iam ex patre certe titulo Cirtensi Renierii n. 1817 [6]), ubi consularis ille Germaniae sic appellatur: T. Caesernius . . f. Palat. Statius Quintius Statianus Memmius Macrinus; unde et ipsi nomen fuisse constat Quinctii". — Iam Caesernium ad quem Divionensis titulus spectat et illum ad quem Cirtensis eundem esse suspicatur etiam Renierius [7]). Equidem Mommseno libenter concedo, Borghesii de patris et de matris nominibus opionem reprobandam esse, sed, ni fallor, et

1) C. J. L. V 865 in annot.
2) l. c.
3) Annali 1849 p. 230.
4) Annali l. c.
5) l. c.
6) Vid. titulum infra n. 59.
7) ad. tit. Renier. 1817 (= Renier, Mélanges, p. 75) haec adnotat Renierius (Mél. p. 78): „Ce personnage est très-probablement le même que le Caesernius Statianus, qui est mentionné dans une inscr. du musée de Dijon, datée du consulat de Gallicanus et de Vetus (150 après J.-Chr.), et qui, suivant une conjecture de Borgh. (Ann. l. c.), était, quand ce monument a été élevé, légat impérial de la province de Germanie supérieure, père de T. Caesernius Statius Quinctius Macedo Quinctianus" etc.

Digitized by Google

Divionensis et Cirtensis titulus bene referri possunt ad patrem Caesernii illius cuius mentio fit in reliquis titulis, ita ut hunc bello Parthico interfuisse suspiceris sive „comitem Imp.“ sive „comitem divi Veri“; nam utrum hoc an illud legas, non ita multam ad rem valet. — Quamquam num revera filius sit consularis illius, extra omnem dubitationem esse non contendo.

Appendix IV.

De numis Graecis et Latinis ad bellum Parthicum spectantibus.

§ 1. Ex titulis vix quicquam proferes quod ad ipsam historiam belli spectet, scilicet exceptis iis quos infra de viris in bello illustribus composui. Quamquam observatos velim hos tres titulos in vico quodam Numidiae repertos cui nomen est Cuicul; ex Renieri „Inscr. de l'Alg.“ descripsi:

Renier 2526 = Henzen 5470:

Victoriae Parthicae Maximae Augg.

Renier 2527 = Henzen 5470:

Victoriae Armeniacae Augustorum.

Renier 2528:

Victoriae Imp. Caes. M. Aurelii Antonini Aug. Armeniaci et Imp. Caes. L. Aurelii Veri Aug. Armeniaci Parthici Maximi.

Praeterea:

C. I. L. III 3432 (Budae in Pann. infer.):

I. O. M. pro salute et reditu et victoria Imp. duorum Aug. T. Ael. Celsus cum Peronia respecta coniuge et Ae. Celsino filio Kal. Aug. dedici [sic!] Macrino et Celso cos V. L. M. [sic!] [1])

---

1) annot. ad titulum l. c.: „respicit ad bellum Armeniacum Marci et Veri, quamquam reditus pertinet ad Verum solum neque is rediit nisi a. demum 166“. — Macrinus autem et Celsus consules fuerunt a. p. Chr. 164.

Digitized by Google

C. I. L. III 778 (Gerginae in Moes. infer.):
(pro salute) et Victoria et concordia M. Aurelii Antonini et (L.) Aur. Veri Imp. Cornelius Firmus 7 leg. I Ital. aram posuit.

C. I. L. V 4089 (Betriaci in confinio Mantuani et Cremonensis):
Victoriae Aug. Antonini et Veri M. Satrius maior.

§ 2. Iam videamus, quid numi ad bellum Parthicum illustrandum afferant. Atque primo quidem in mentionem veniant numi aliquot Graeci, Carrhis, oppido illo Osroenes[1]), excusi, de quibus agit Eckhelius[2]). In his numis inscriptiones obviae sunt hae:

ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΦΙΛΩΡ.[3]) *Μ. Α. ΑΙΡ.*

(cum capite Marci imperatoris)

i. e. *Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Φιλορώμαιοι μητροπόλεως πρώτης.* — Litteris *ΑΙΡ* indicatur annus 111, i. e. annus u. c. 919 vel p. Chr. 166.

In parte adversa legitur:

ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ ΦΙΛΩΡ. Μ. Α.

i. e. *Αὐρηλίων Καρρηνῶν Φιλορωμαίων μητροπόλεως πρώτης.*

In aliis legitur:

ΚΑΡΗΝΩΝ ΦΙΛΟΡΩΜ.

aut: *ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ ΦΙΛΟΡ.ΚΟΛ.*

aut: *ΚΟΛ. ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ.*

(cum effigie Marci aut L. Veri).

Carrhas igitur vides coloniam designari nomenque Aureliae obtinuisse, atque deductam esse illam quidem a M. Aurelio Antonino ex eo sequitur, quod exstant etiam numi in quibus inest Marci aut Veri nomen aut caput sine mentione coloniae. Quodsi „*Φιλορώμαιοι*“ appellantur Carrheni, de Mesopotamiae populorum

1) cfr. Kuhn, Verf. d. röm. Reichs, II p. 324.

2) Eckhel D. n. III p. 506 s.

3) re vera in numis nonnullis legi *ΦΙΛΩΡ* pro *ΦΙΛΟΡ* testatur Eckhelius l. c.

Digitized by Google

fide amicitiaque intellegendum est, qua illi in confinio Parthorum et Romanorum habitantes hos in bello prosecuti videntur esse [1]).

Atque „Φιλορώμαιοι“ illud vocabulum invenitur etiam in numis Abgari et Manni regum Osrhoenes. Intellegitur autem Osrhoene territorium illud in parte occidentali Mesopotamiae septentrionalis atque in confinio Parthorum Romanorumque situm, a septentrione Commagenae finitimum, ab occidente Euphrati flumini proximum. [2]) — Iam exstant numi capite Marci aut L. Veri ornati, quorum in parte aversa haec est inscriptio:

ΑΒΓΑΡΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ,

praeterea numi Marci, Faustinae, L. Veri, Lucillae [3]), quorum in parte aversa inscriptum est:

ΒΑϹΙΛΕΥϹ ΜΑΝΝΟϹ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟϹ.

Iam a M. Aurelio Antonio Singaram quoque colonia deducta esse videtur Eckhelio [4]), additque Marquartius [5]) Edessam

---

3) cfr. de his quae adhuc exposuimus: Eckhel III p. 509; Marquardt, Staatsverw., I p.280. — Saeculis posterioribus Carrhae nominantur etiam Ἑλλήνων πόλις: Kuhn l. c. II p. 327.

1) „Regnum Osrhoenum nomen traxit ab Osroë, qui a. u. c. 617 (= a. Chr. 137) regnum apud Edessam constituit, unde et reges Edesseni dicti sunt“: Eckh. III p. 511. — Kiepert, Lehrb.' d. Geogr., p. 156, dicit: „um d. Jahr 136 v. Chr.“ — St. Martin (Fragments etc. I p. 103) regnum illud constitutum esse contendit anno a. Chr. n. 131 vel 132, atque priores reges suspicatur fuisse veri similiter satrapas tantum a regibus Parthis Arsacidis missos (l. c. p. 106). — Cfr. etiam Pauly R.-Enc. IV p. 1875. — Origine fuisse reges illos Semitas contendit Kiepert l. c., sed Traiani tempore Arsacidas: Dierauer l. c., p. 164. — Atque Traiano imperante cum modo Parthis modo Romanis favisse videantur (cfr. Dierauer p. 164 s.; p. 175), postea amicos Romanorum exstitisse illos veri simile est. — Regibus Osrhoenis plerisque fuitnomen Abgarus, praeterea nominantur Manni (cfr. Eckhel l. c.; Dierauer p. 164, ann. 3; Kuhn l. c. II p. 176) et Pacori (St. Martin, l. c. p. 87). — De Edessa urbe eiusque nomine vid. Kuhn l. c. II p. 325; St. Martin l. c. p. 102 s.; Pauly R.-Enc. III p. 19.

3) Eckhel III p. 512 et 513.

4) l. c. p. 519.

5) Röm. Staatsv. I p. 280 et ann. 16.

Digitized by Google

collato numo quodem imperatoris Commodi apud Mionnetium[1]) conspicuo, in quo inest inscriptio:

KOΛ. M. ЄΔЄCCA;

sed etiamsi quo tempore constituta sit in hac urbe colonia adhuc ignoremus, tamen inde a Caracalla coloniam fuisse constat[2]).

Praeterea exstant etiam numi oppidi cuiusdam incerti Mesopotamiae, quos simillimos illis ad Mannum regem pertinentibus et pariter capite aut Marci aut L. Veri aut uxorum ornatos esse testatur Eckhelius[3]). In quibus haec habes verba inscripta:

ΥΠЄΡ NIKHC PΩMAIΩN
TΩN CЄBA (scil. Σεβαστῶν)
aut: *TΩN KYPIΩN CЄ* (scil. Σεβαστῶν).

Quare commovetur Eckhelius, ut hos quoque Edessae aut in propinqua urbe, sicut Carrhis, excusos esse contendat.

Restant numi nonnulli ad Verum pertinentes[4]), quorum in parte aversa cum indicia varia ad victorias in Armenia partas spectantia inveniuntur tum inscriptum legitur: *ΑΡΜΕΝΙΑ.*

Hi quos enumeravimus numi graecis litteris inscripti, qui bellum Parthicum illustrant aut illa aetate signati sunt, numero sunt pauci.

§ 3. At Romanorum numorum thesaurum si respexeris, permultos sane invenies in quibus victoriae Romanae de Armenia Parthisque reportatae celebrantur, sed quod dolendum est, vix indicia invenies, quibus aut tempus accuratius definiatur aut ad res gestas ipsas illustrandas aliquid addatur quod aliunde non iam notum sit; eximere potes si vis illos tantum iam supra memoratos[5]) quibus inscriptum est: „rex Armen. datus“.

Neque tamen a re esse censeo, si ex thesauro qui exstat

1) Mionnet VIII 399, n. 1.
2) Eckhel III p. 510.
3) Eckhel III p. 520.
4) Eckhel III p. 208.
5) vid. p. 23.

Digitized by Google

illorum numorum hoc loco offere delectum, ut res iam aliunde notas illis quoque habeas illustratas.

Iisque numorum ordine servato primo loco Marci, altero L. Veri numos qui insignes visi sunt afferre liceat[1]:

a) Numi Marci:

p. Chr. 163: Eckhel VII p. 50: in aversa: „Imp. II". (Victoria gradiens).

164: ibid.: in aversa: „Armen. imp. II". Armenia moesta humi sedens inter arma patria, s. prorae navis imposita[2].

ibid.: in aversa: „Vic. Aug. imp. II". Victoria gradiens cum tropaeo, ante cuius pedes Armenia moesta sedens[2].

Cohen II, M.-Aurèle, n. 156: in antica: „Armeniae". — In aversa: „imp. II" attachant à un palmier un bouclier, sur lequel on lit: „Vic. Aug."[2].

ibid. n. 284: Victoire debout à droite, attachant un bouclier à un palmier.

165: Eckhel p. 51: „imp. III".

Cohen n. 163: (Victoire tenant un bouclier attaché à un palmier; sur le palmier, on lit: „Vic. Aug.").

ibid. n. 164: la Paix ou la Félicité debout à gauche[3].

166: Eckhel p. 52: in aversa: „Pax Aug." vel „Vic. Aug."

ibid.: in antica: „Arm. Parth. Max."
in aversa: „imp. IV". (Victoria stans d.

1) Quae uncis includuntur, ipsa verba aut Eckhelii aut Cohenii sunt.

2) cfr. p. 22.

3) cfr. p. 33.

Digitized by Google

palmam s. clypeum, cui inscriptum: „Vic. Par.“, super palmae trunco tenet.)

p. Chr. 166: Eckhel p. 52: in aversa: „Pax“ vel „Vict. Aug. imp. IV“.

ibid.: in antica: „Parth. max. Medic.“

(vid. Cohen n. 737) in aversa: „imp. IV“ (Uterque imperator ramum praetendens in curru triumphali).

Cohen n. 146: in aversa: „Pax“ (la Paix debout à gauche, tenant une branche d'olivier et une corne d'abondance).

ibid. 172: ut n. 164.

ibid. 173: (Rome casquée assise à gauche sur un bouclier, tenant Victoire et une haste.)

ibid. 286: (Victoire debout de face, regardant à droite, tenant une palme et attachant à un palmier un bouclier sur lequel on lit: „Vict. Par.“).

167: ibid. 728: (Victoire à demi nue debout de face, regardant à droite, tenant une palme, et attachant à un palmier, au bas duquel on voit quelquefois des armes, un bouclier sur lequel on lit: „Vic. Par.“)[1])

Eckhel p. 53: in antica: „Arm. Parth. Max.“ — In aversa: „imp. IV“ (Uterque imperator d. ramum in quadrigis triumphalibus praecedente milite cum labaro; pone quatuor baiuli ferculum gestant, super quo tropaeum et duo captivi sedentes).

Cohen n. 298: (Victoire marchant à gauche et tenant une couronne et une palme).

168: Eckhel p. 57: (Duae victoriae tenentes lauream, intra quam: „S. P. Q. R. vic. Parthicae“, infra Parthus sedens).

---

1) Hunc numum depictum habes Tom. II, plan 16 (ad pag. 496).

Digitized by Google

p. Chr. 168: Cohen 390: (Deux Victoires debout en face l'une de l'autre, soutenant un bouclier sur lequel on lit: „Vic. Parthicae"; à terre, un Parthe assis à gauche, dans l'attitude de la tristesse).

b) Numi L. Veri:

162: Cohen III, Vérus, n. 29: in aversa: „Prof. Aug." [1])
ibid. 162: eadem inscriptio.
ibid. 19 : in aversa: „Fort. red."
163: ibid. 133: „Felic. Aug."
ibid. 142: ut n. 19.
ibid. 164: ut n. 29 et 162.
Eckhel VII pag. 90: „Profectio Aug." [1]) (Imperator eques d. hastam).
ibid.: in aliis praeterea praecedit figura militaris tribus sequentibus.
ibid.: in antica: „Armeniacus".
in aversa: „Armen. imp. II".
(Armenia humi sedens inter arma patria d. caput fulcit, s. navis prorae imposita).
ibid.: reliqui numi: „Felicit. Aug." vel: „Saluti Augustor."
164: ibid. p. 91: in antica: „Armeniacus".
in aversa: „rex Armen. dat. tr. p. IV imp. II cos. II" (Imperator in suggesta sedens adstantibus duabus figuris diadema adstanti infra regi circumdat.) [2])
ibid.: „rex Armeniis datus imp. II tr. p. IV cos. II S. C." Idem typus, sed adstantibus tribus figuris.)

1) cfr. p. 18 s.
2) cfr. p. 23.

Digitized by Google

cusi sunt, ipso bello Armeniaco Parthico iamdiu confecto, saepe rerum antea gestarum memoria repetitur.

Appendix V.

De cognominibus ab imperatoribus bello Parthico acceptis.

Meministi supra pollicitum me esse de titulis utrique imperatori honoris causa oblatis accuratius aliquid exponere.

Iam diximus [1]), bello Armeniaco et Parthico utrumque sibi acquisivisse nomina Armeniaci Parthici Maximi Medici patris patriae. Quae nomina quo tempore attributa et quamdiu in titulorum numero servata sint, nummos et titulos cum respexeris, ut primo aspectu difficile cognoscere, ita accuratiore disputatione explicare operae pretium videtur.

§ 1. Atque ut primum de Armeniaei nomine agamus, Capitolinus in vita Marci haec tradit [2]): „delatumque Armeniacum nomen utrique principum. Quod Marcus per verecundiam primo recussavit, postea tamen recepit". — Marcum igitur post Verum accepisse nomina intellegis, idemque efficitur ex loco quodam Frontonis oratoris [3]); nam Verum fratri persuasisse ille dicit, ut nomen primo recusatum acciperet.

Ut res dilucida fiat requiramus numos atque primo illos quos exhibet Eckhelius. Hos si perlustraveris, L. Verum Armeniacum se appellasse cognosces inde ab anno 163 [4]), Marcum vero anno demum vertente 164 [5]). Quare permotus Eckhelius [6]) suspicatur utrique principi exeunte anno 163 a senatu nomen esse

1) pag. 31 s.

2) vit. Marci c. 9 init.

3) ad Verum II, 1 (pag. 121 Naber). — Verba habes supra p. 22 (ann. 2).

4) vid. numos: Eckhel VII p. 90 sqq.

5) ibid. p. 50 sqq.

6) ibid. p. 72.

Digitized by Google

decretum statimque in numos receptum a L. Vero, a Marco vero post intervallum quoddam. Ac sane L. Veri numorum apud Eckhelium exstantium anno 163 signatorum [1]) pars Armeniaci nomen addit, pars neglegit; nunquam vero neglegunt nomen numi a. 164 et insequentium. Similiter res se habet de Marco, ita ut numorum a. 164 [2] pars nomen tribuat, pars neglegat, annorum autem insequentium addant omnes [3]).

Vides si numos tantum Eckhelio notos respexeris, rem esse claram iudiciumque viri doctissimi satis probatum; optime enim consentiunt cum iis quae scriptores tradiderunt. — Iam ab Eckhelio ad Cohenii numorum thesaurum permulto copiosiorem si te converteris, cave ne tota illius doctrina ad irritum redigatur! Praebet enim Cohenius numos quosdam iam a. 163 signatos, in quorum aversa ipse Marcus conspicitur Armeniaci nomine ornatus [4]). Sane numerus multo maior illo anno excusus hanc appellationem non habet [5]). Sed quod mirum, insequenti quoque anno (164 p. Chr.) aut comparet nomen Armeniaci [6]) aut omissum est [7]). Quod ad Verum, numi a. 163 maiorem partem Armeniaci nomen non habent [8]), atque in numero eorum, qui insequenti anno (164) signati sunt, exstant, qui titulum a. L. Vero partum neglegant [9]), etsi plurimi addunt [10]).

---

1) Eckhel l. c. p. 90.

2) l. c. p. 50.

3) l. c. p. 50 sqq.

4) Cohen, Descript. histor. des médailles impériales, Tome II. Marc-Aurèle, n. 745—747.

5) sic l. c. n. 15. 18. 187—189. 197. 198. 628—630.

6) sic l. c. n. 1. 3. 156—159. 278. 284. 748—754. 787—790.

7) sic l. c. n. 19. 190. 199. 279—283. 285. 404. 755—765.

8) sic Cohen III, Vérus, n. 41. 42. 89. 133—138. 142—144. 164. — Sed conspicuum est: n. 2. 3. 46. 47. 237. (Ex his depictus est n. 3: plan. 1 ad tom. III p. 1).

9) sic (ibid.) n. 48—50, in quibus legitur tantum „Verus Aug.".

10) sic (ibid.) n. 4. 5. 22. 39. 40. 51—57. 104. 106. 169—171. 177. 207—222. 238. 239. (Depicti sunt n. 39. 104. 219 l. c.)

Digitized by Google

Verum si ad a. 165 perrexeris, utrumque principem nomine illo non carere videbis, sive Eckhelium revolvas sive Cohenium [1]).

Ad annos vero priores quam 163 si reverteris, neutrum principem titulo illo esse usum intelleges, atque cum Cohenius numos nonnullos collectionis suae, in quibus Armeniaci significatio adest [2]), anno tribuat p. Chr. 162, non alius opinor erravit ac typographus, quoniam annum u. c. 917 eundem esse ac nostrae aerae 164 constat. Similiter iudicabis de alio numo [3]), quamquam error non plane est idem: relatus enim est in annum u. c. 915, h. e. p. Chr. 162, re vera autem signatus est a. 918, h. e. p. Chr. 165 [4]). — Itaque recta ratione usi videntur esse titulorum quadratarii: ut exempla afferam, titulus Orellianus 876 [5]) ad annum 162 spectans utrique principi nomen non dat, item Marco titulus Henzenianus 5472 [5]) exaratus a. 161. Contra posteriorum annorum inscriptiones appellationem non neglegunt [6]).

Quid igitur? Eckheliumne sequeris an Cohenium? Certam regulam servatam esse contendes an nihil omnino certi ex numis cognosci? Ut meam proferam sententiam, ita velim causam diiudicare, ut L. Verum iam a. 163 nomen in numos retulisse statuam, Marcum vero paulo post, sed fortasse exeunte eodem anno, siquidem numi illi apud Cohenium conspicui [7]) sunt genuini.

---

1) Numi a. 165:
Marci: Eckhel p. 50. 51; Cohen II 4. 161—171. 402. 403. 573. 574. 717—724. 766.
L. Veri: Eckhel p. 92; Cohen III 1. 58—62. 103. 108. 109. 152. 153. 158. 159. 178—182.

2) Cohen III, Vérus, n. 111. 112.

3) ibid. n. 154.

4) Eundem enim tribunatum indicat (scil. V) ac praecedentes: n. 152. 153.

5) vid. titulos infra (Tit. n. 3 et 1).

6) Ut pauca exempla afferam, Armeniaci nomen inest in titulis ad Marcum pertinentibus: C. J. L. III 1372 (a. 164), ibid. 3118 (a.165), V 4866 (a.165). — L. Verus appellatur Armeniacus: Orell. 873 (164), Murat. 242, 2 (164) etc.

7) n. 745—747 (vid. supra p. 87, ann. 4).

Digitized by Google

§ 2. Sed transeamus ad alia nomina fratribus honoris causa concessa. Tradit Capitolinus[1]) haec: „profligato autem bello uterque Parthicus appellatus est, sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiavit, quod postea recepit". — Atque numos si perlustraveris, Parthici nomen, sed coniunctum semper cum Maximo neque omisso Armeniaci titulo iam prius comparato, L. Vero primum tribui intelleges a. 165[2]), Marco vero anno demum insequenti (166)[3]), demonstratque et Eckhelii et Cohenii collectio, Marci numorum a. 166 cusorum maiorem numerum novam illam appellationem neglegere[4]). Quod rem diiudicare videtur, in diplomate illo iam supra dicto[5]) non ante Martium mensem illius anni (166) edito Marcus Parthici nomen nondum habet. Quae cum ita sint, nostro iure contendimus, non ante diem triumphi Marcum novum illud nomen una cum Medici titulo prioribus addidisse.

Hoc vero Medici nomen singulo tantum in numo a. 166 et apud Marcum et adud Verum reppererunt et Eckhelius et

---

1) vit. Marc. c. 9, 2.

2) Eckhel VII p. 92; Cohen III, Vérus, n. 64—66. 183—187.

3) Eckhel VII p. 52; cfr. p. 72.

4) cfr. Eckhel VII p. 51 s. — In Cohenii collectione invenitur solum nomen „Arm.", ut exempla afferam: Tom. II, M.-Aurèle, n. 138. 146. 152. 172—174. 351. 352. 387. 428. 429 (depictus: plan. 16, ad p. 496). 725. 726. — Sed appellatur „Arm. Parth. Max.": ibid. n. 286—288. 727—730. 767 (728 dep.: pl. 16, ad p. 496). — L. Veri numi a. 166, ubi nomina illa leguntur: Eckh. VII p. 92; Cohen III, Vérus, n. 24—28. 86. 87. 94—96. 188—194. 196. 197. 223. 224. 240.— Praeterea singulares numi exstant ad a. 166 pertinentes apud Cohen. II, M.-Aurèle, n. 143 et 144, et III, Vérus, n. 67—70, in quibus nomina „Parth. Max." posita sunt, sed omissum nomen „Arm.". — Singularis quoque: Cohen II, M.-Aur., n. 807 (a. 166), ubi Marcus appellatur tantum „M. Aurel. Antoninus Aug." — Similiter Verus appellatur solum „L. Verus Aug.": Cohen III, Vérus, n. 63 (165); 71. 72 (167); 78. 79 (168).

5) Eph. epigr. II (1875), p. 460 sqq. — Vid. pag. 33. 68. Tit. n. 22.

Digitized by Google

Mira est haec discrepantia inter Capitolinum et numos. Quare Eckhelius accuratius exponere opus esse censuit[1]), quo factum sit, ut numi ante a. 176 titulum illum prorsus spernerent. Liceat argumenta viri doctissimi breviter enarrare.

Ac primum quidem contendit, imperatores patris patriae nomen cum semel obtinuissent, continuo in monumentis publicis numisque posuisse. Atqui Marcus imperator siquidem omnino usus esset illo titulo, nihil habuisse monetarios, cur antea in numis non ponerent, inde ab exeunte vero anno p. Chr. 176 — hoc enim anno primum invenitur in paucis, maior autem pars respuit[2]) — nusquam omitterent. Itaque hac ratione Eckhelius iubet interpretari verba Capitolini: Marcum nomen a senatu oblatum primo quidem accipere voluisse, postea vero, cum frater redisset, in proposito non perseverasse. Exponit deinceps vir doctissimus, nomen illud inveniri quidem in titulo quodam Marci posito tribunatus a. XVI, i. e. a. p. Chr. 162[3]) nec non in duabus L. Veri inscriptionibus ad annos 162 et 163 spectantibus[4]). In plurimis vero Marci titulis ante a. 177 positis re vera, ut iuberet vitae scriptor, significationem illam non cognosci, et si qui essent, culpam attribuendam esse aut librariis neglegentissimis aut iis qui lapidem inscripsissent ignorantes nomen a senatu fratribus concessum quidem, at non esse acceptum.

Haec sunt argumenta Eckhelii. Atque primus numus in

---

1) Eckhel D. n. VII p. 70 sqq.

2) Legitur „P. P.“ in numis a. 176: Eckhel p. 63; Cohen 68. 461. 318—322. 549. 550. (cum „Germ. Sarm.“)
cum „Germ. Sarm.“ { non legitur: Cohen n. 78. 147. 201. 314. 315. 370. 371. 414. 644. 645. 777—780.
sine „Germ. Sarm.“: n. 81. 316. 317.

3) Laudat Eckhel: Murat 188, 6 (= Orell. 858 = C. J. L. VI 1012). At pro „p. p.“ Henzenus (C. J. L. l. c.) restituit: „p. m.“. (vid. titulum: infra n. 5).

4) Laudat Eckhel: Grut. 258, 2 et 1082, 7 (bis). — Sane Grut. 1082, 7 et 8 legitur „p. p.“, non autem Grut. 258, 2. Vide titulos n. 11—13.

Digitized by Google

quo illud nomen conspicuum est[1]) tribunatum indicat Marci tricesimum, signatus igitur est a. 176. Atque hic numus praecipue insignis est: in aversa enim adscripta habes verba: „de Germanis imp.VIII“, quo declaratur, cusum eum esse triumphi de Germanis peracti celebrandi causa. Hunc autem triumphum habuerunt Marcus Commodusque filius a. 176 die Decemb. XXIII[2]). Itaque satis acute suspicatur Eckhelius[3]), Marcum nomen illud a senatu tunc iterum decretum in numos tandem recepisse.

Hactenus de numis. Iam videamus num quid ex inscriptionibus discamus. Atque perlustrato numero haud exiguo nomen illud repperi in his quos servato temporis ordine adscribo, atque primo quidem loco Marci, altero Veri:

a) tituli ad Marcum imperatorem spectantes:

a. 167: C.J.L.V 2040 = Orell.860 = Murat.240,5 (Belluni)

169: Renier 1725 (Dianae) } in Numidia.
Renier 1495 (Batnae) } in Numidia.
„ 2530 (Cuiculi) } in Numidia.
Henzen 5471 (Ksour-el-Rennaia in Africa).
Murat. 240, 7 (in Casiliano).

170: C. J. L. III 1979 (Spalati).
Murat. 455,1 (Jalonae).

172: C. J. L. III 1450 = Or. 878 = Mur. 1121,7. („Malomvisi in Dacia“: Momms.; „Vindobonae“: Or.)

173: Henzen 6015 (Ferentini).

174: Murat. 455,2 (Arimini).

1) Eckhel VII p. 63; cfr. p. 71; Cohen II, M. Aurèle, n. 68.

2) Lampr. vit. Comm. c. 12, 5: „triumphavit X Kal. Jan. isdem consulibus“ (scil. Pollione et Apro II); cfr. ibid. c. 2, 4.

3) Eckhel VII p. 71 haec dicit: „Et sane verisimile est, inter triumphi eius applausum patris patriae nomen rursum decretum a senatu ac demum a reluctante diu Aurelio adscitum“. — Huc spectant opinor etiam numi Cohenii II, M.-Aur., n. 550 (a. 176) et 551 (177), in quibus legitur: „Imp. VIII Pax aeterna Aug. S. C.“ (n. 551 depictum habes: pl. 17 ad II p. 513).

Digitized by Google

175: Renier 3247 (prope Cirtam).
176: C. I. L. III 13 (Alexandriae).
Orell. 861 = C. I. L. VI 1014 (Romae).
inter 175 et 180: C. I. L. VI 1015 (Romae), sed restitutum ab Henzeno.
ante Veri obitum: Henzen 5815 = Renier 2532 (Cuiculi in Numidia) [1]).

b) tituli ad L. Verum spectantes:

a. 161: Henzen 5483 (Tyndaride)
C. J. L. II 158 = Gruter 257, 11 (Ammaiae = Portalegre in Lusitania).
162: C. J. L. III 129 = Wadd. 2562 d = Henzen 5484 (El-Khirbé in Syria).
Renier 3246 (prope Cirtam).
Gruter 1082, 8 (Romae).
163: Gruter 1082, 7 (Romae).
166: C. J. L. VI 1022 (Romae), sed restitutum ab Henzeno [2]).
167: C. J. L. V 5805 (Mediolani).
168: Gruter 258, 3 (Romae)
169: Orell. 875 (Romae) = Gruter 253, 2.
anni incerti: Henzen 5815 = Renier 2532 (Cuiculi in Numidia).

Iam quid censes? Titulis enumeratis satis tibi demonstrasse mihi videor, fratres imperatores re vera publice appellatos esse „patres patriae“ ante a. 176. At certe segregandi sunt tituli ante triumphum a. 166 exarati ab iis qui postea scripti sunt.

1) Tituli Orell. 862 et 863 spurii sunt: cfr. Henzen et Momms. C. r. Neap. n. 237* et 202*. — C. J. L. VI 1012 (= Or. 858 = Murat. I p. 188) versu 7 Henzenus pro „p. p.“ legere iubet „p. m.“ (Vid. supra p. 92, annot. 3). — Item in tit. Murat. 454, 6 pro „p. p.“ legere vult „p. m.“: Clinton F. R., Vol. II p. 28 extr.

2) Vid. titulum infra n. 14.

Digitized by Google

Quod dolendum est, Acta fratrum Arvalium, ex quibus alias de multis rebus ad imperatorum Romanorum historiam pertinentibus lucem accipimus, per totam Marci aetatem paene prorsus nos destituunt. Nam quae servatae nobis sunt reliquiae locis vacuis corruptae certis annis inseri non possunt. Semel tantum in actis illis Marcum appellatum invenies patrem patriae, intellego fragmentum quoddam inter annos p. Chr. 169 et 177 collocandum [1]. Praeterea exstant duae reliquiae quarum in contextu Henzenus nomen illud restituit [2].

Sed in promptu est diploma militare [3] a. d. III Nonas Maias a. 167 editum, in quo Marcus nominibus Arm. Med. Parth. ornatus comparet et L. Verus Arm. Med. Parth. Max., praeterea uterque appellatur „p. p." — Quo documento si uti vis ut fide dignissimo, revera inde a triumpho a. 166 peracto fratres publice appellatos esse patres patriae tuo iure concludes [4]. Quo concesso sane inscriptiones priorum annorum quas modo in medium protulimus [5] ita intellegendas esse videtur statuendum, ut temeritatem atque ignorantiam reprehendamus eorum qui lapides inscripserunt, siquidem tituli sunt genuini [6]; verum ex illo numero eximas velim singularem

1) C. J. L. VI p. 554, n. 2093.

2) ibid. n. 2091 (inter annos 161 et 169) atque n. 2097.

3) C. J. L. III p. 888, Dipl. n. XLVI.

4) Idem suspicari videtur Henzenus ad C. J. L. VI 1012.

5) Ceterum prioribus annis L. Verus tantum „p. p." appellatur, non item Marcus (vid. p. 93 s.)

6) Eadem temeritate usi sunt quadratarii in ponendo aut omittendo nomine „Pont. max." — Haec appellatio reperitur in titulis Marci ut exempla afferam his:

a. 161: Henzen 5472 = Mur. 455, 3 (Romae).
Mur. 239, 7 Sestini).
162: Grut. 156, 7 (apud Batavos).
Orell. 876 = Bramb., C. J. Rhen. n. 1931 = Klein, Rh. Mus. XV (1866) p. 492 (Rigomagi).
163: Grut. 259, 9 (Auximi in Piceno).
Mur. 240, 1 (Panormi).
164: C. J. L. V 2153 (Torcelli) = Grut. 259, 10.
Mur. 240, 4 (Camerini).

Digitized by Google

illum titulum Syrum [1]); dedicatus enim videtur in honorem adventus L. Veri in provinciam Syriam facti. — In numis vero

165: C. J. L. V 4866 = Grut. 260, 2 (Veronae).
166: C. J. L. II 3234 = Grut. 260, 3 (Lazuzae).
167: C. J. L. V 2040 = Orell. 860 = Mur. 240, 5 (Belluni)
169: Mur. 240, 7 (in Casiliano).
170: C. J. L. III 1979 (Spalati).
Mur. 455, 1 (Salonae).
174: Mur. 455, 2 (Arimini).
175: Renier 3247 (prope Cirtam).
176: Orelli 861 = C. J. L. VI 1014 (Romae). etc.

Omittitur „pont. max." in titulis Marci his:

162: C. r. Neap. 442 = Mur. 240, 2 (Hydrunti)[2]).
163: C. J. L. VI 1012 = Or. 858 (Romae).
164: C. J. L. III 1372 (Veczel in Dacia).
165: C. J. L. III 3118 (Arbae in Dalmatia).
166: C. J. L VI 360 = Orell. 874 = Grut. 1009, 12 (Romae).
169: Henzen 5471 (Ksour-el-Rennaia in Africa).
Renier 1495 (Batnae in Numidia).
166—171: C. J. L. VI 1013 (Romae).
172: C. J. L. III 1450 = Or. 878 = Mur. 1121, 7 (Malomvisi in Dacia).
176: C. J. L. III 13 (Alexandriae).
175—178: C. J. L. VI 1015 (Romae).

In numis Marci legitur „Pont. max." fere semper: vid. Eckhel VII p. 48 sqq.; Cohen II, M.-Aurèle (ut exempla afferam): (a. 161:) 569—571. 608. 743; (a. 162:) 23. 609. 625—627; (a. 163:) 628—630; (a. 164:) 284. 404. 752—765. 787—790; (a. 165:) 4. 573. 574. 717—724. 766; (a. 166:) 428. 429. 725. 726; (a. 177:) 575.

Quod ad Verum, nusquam oportebat appellari eum „pont. max.": cfr. Eckhel VII p. 96. — Sane in numis nusquam obvia est illa appellatio; in titulis vero interdum invenitur: sic Gruter 257, 11 (161) = C. J. L. II 158; Henzen 5483 (161); ibid. 5484 = C. J. L. III 129 (162); Renier 3246 (162); C. J. L. III 2845 (163): Mur. 240, 2 (164); C. J. L. II 3399 (167); Gruter 258, 3 (168). — De titulo Grut. 253, 2 cfr. Henzen. Vol. III pag. 92 ad Orell. 875. — Maior pars titulorum L. Veri pontificatum neglegit; observa imprimis tit. Orell. 876 (infra Tit. n. 17), in quo Marcus „pont. max." appellatur, non item Verus. — Cfr. etiam C. r. Neap. 443 (infra. Tit. n. 10).

1) Henzen 5484 = C. J. L. III 129 (vid. p. 19. 59. Tit. n. 26).
2) Vid. infr. Tit. n. 2.

Digitized by Google

cum reperiatur patris patriae appellatio non ante a. 176, Eckhelium [1]) interpretem secutus tunc [2]) denuo senatum honorare voluisse imperatorem iudicaverim, ita ut ille patrum precibus commotus nomen deinceps in numos reciperet [3]).

§ 4. Ab anno p. Chr. 166 usque ad a. 169, h. e. ad mortem L. Veri, uterque imperator in omnibus monumentis publicis nominatur Arm. Parth. Max. Med. Quod iam diximus, Medici nomen in iis solum numis exstat qui ipso a. 166 signati sunt, atque huius ipsius anni in singulo tantum [4]). — Numorum eorum in quibus nomina Arm. Parth. Max. leguntur collectionem habes apud Eckhelium [5]) nec non apud Cohenium [6]), sed annorum ordine minime servato inter alios dissipati sunt.

---

1) Eckhel VII p. 71.

2) scil. extremo anno 176 (vid. supra p. 93 s.)

3) Observandi sunt aliquot numi Marci principis, in quibus inscriptum est nihil aliud atque „Cos. III P. P.“ (Cohen II, M.-Aurèle, n. 55—65), sine ulla significatione qua tempus certius definiatur. Quos numos Eckhelius (VII p. 71 s.), antea tribuerat anno u. c. 914 (= p. Chr. 161); tunc enim tertio consulatu Marcus functus erat. At cum „P. P.“ nomen in ceteris numis inde ab anno demum 176 reperiatur atque „lineamenta oris aperte in senium vergant“, — ut ipsius Eckhelii verbis utar — idem postea anno u. c. 931 vel 932 (= p. Chr. 178 et 179) illos tribuit. Atque Cohenius, quamquam Eckhelio nequaquam repugnat (v. Vol. II, p. 462, annot.), tamen fieri potuisse contendit, ut iam inde ab a. 176 numi illius modi signati essent.

4) vid. supra p. 89 s.

5) Eckhel VII p. 52—57.

6) Exempla in Cohenii collectione habes: Vol. II, M.-Aurèle:

a. 167: n. 24. 289—291. 388. 430. 732—734. 768. 806.

a. 168: n. 79. 80. 292—300. 389. 390. 394. 485. 486. 735. 736. 769—771.

a. 169: 301. 302. 362. 391. 487. 772. 773.

Vol. III, Vérus:

a. 167: n. 14. 73—77. 97—99. 198. 199. 225. 226.

a. 168: n. 20. 80—85. 91. 100. 101. 149. 150. 200—204. 227—231. 233.

a. 169: 92. 102. 151. 201. 205. 234. 235.

Praeterea Marcus appellatur „Parth. Max.“ (omisso: „Arm.“): Cohen n. 737. 738 (a. 168); 739. 740 (a. 169). — Singularis est numus

Digitized by Google

annis sola sint conspicua, in illis novas appellationes cumulatas vides cum iis quas prius sibi comparaverat. Sic habes:

Arm. Med. Part. Germ.: Renier 33.

Arm. Med. Germ. Parth. Max.: C. J. L. III 1450 = Orell. 878 = Mur. 1121,7.

Arm. Med. Parth. Max. Sarm.: Orell. 3186.

Arm. Med. Parth. Germ. Sarmat. Max.: C. I. L. III 13 (a. 176).

Arm. Parth. Med. Germ. Sarm. pont. max. p. p.: Renier 3247 [1]).

Multo etiam maiorem varietatem habes in titulis Graecis, ita ut quadratarios prorsus ad libidinem lapides inscripsisse concedas. Ut res demonstretur, hos tibi propono titulos:

Wadd. 2237: *Μ. Αὐρ. Ἀντ.* (169)

Wadd. 2212 (171) et 2331 (170): *Ἀντ. Καῖσ. Μ. Αὐρ. Ἀντ. Σεβ.*

Wadd. 1969: *Μ. Αὐρ. Ἀντ. Καῖσ.* (171).

Wadd. 2520 = C. J. G. 4560: *Μ. Αὐρ. Ἀντ. καὶ Λ. Αὐρ. Οὐῆρ.* (sine alia appellatione).

Wadd. 2525: *κύρ. Αὐτ. Μ. Αὐρ. Ἀντ. καὶ Λ. Αὐρ. Οὐῆρ. Σεβ.* (cfr. C. J. G. 4609).

Praeterea nominatur

Marcus:

Ἀρμ. Παρθ. Μηδ. μεγ.: Wadd. 2438. 2528.

Ἀρμ. Μηδ. Παρθ.: C. J. G. 4697. 4385.

Ἀρμ. Παρθ. Μηδ.: C. J. G. 1317.

Ἀρμ. Μηδ. Παρθ. Γερμ.: C. J. G. 4323.

Γερμ. Παρθ. Μηδ.: C. J. G. 351.

---

